

No 17.

3



M
106, 46.

Leander Wolcher
1678.

176.

[Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

40 gl

[Dark ink scribbles and illegible handwriting.]

II, 76.





R
21

Conf. m. Sigm. Jac. Agins dambing in Bildnis p. 139 ff. it. p. 132.





SERENISSIMORVM
SAXONIAE
ELECTORVM,
ET
QVORVNDAM DVCVM
AGNATORVM
*genuinae effigies:
comment: histor.
auctae,
aricq; incisa,*
Wolfgango Kiliano,
Augustano Erco:
nographo.
ANNO
VIRGINEI SINE LABE PARTVS
M. DCXXI.


MAGNA
NIMITA
TI.

AN. O. R. C. I. D. I. C. C. X. I.

MALESTA
TI.



Pom VC 953,4°




VIRTUS

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DN.
DN. IOHANNI GEORGIO,
CHRISTIANI I. FILIO,
AVGVSTI NEPOTI,
SAXONIA, IVLIA, CLIMA,
ET MONTIVM DVCI, S. ROMANI

*Imperij Archimareschallo et Electori, Land-
grauio Thuringia, Marchioni Misnia, Burg-
grauio Magdeburgi, Principi Hennebergæ,
Comiti de Marca & Rauenspurg, Domi-
no in Rauenstein &c.*

Dn. suo clementissimo.

virtutem quotidie petens, semper se ipso melior efficiens, &
armis scopus & opibus est solus Deus. Præterea de virtute in
edendo, imò omnium actionum, omnium cogitationum et
non appetendo, hostes repellendo, iustitiam munus subditæ ex-





SERENISSIME ELECTOR, Domine clementissime, meditati mihi Serenissimos Electores & Illustrissimos Duces Saxoniae, à Friderico I, bellicoso, Academiae Lipsensis conditore, Electore à Sigismundo Caesare creato 1423. originem ducentes, vnus occurris, quem Patronum desiderem, defensorem assumam, cui hoc Eiconographicum Saxonicum Systema, maiorum tuorum, libentissime adscribam, humilime consecrem. Movet me multum incredibilis, qua artifices omnes prosequeris benevolentia, & clementia, allicit etiam perpetuus bonarum literarum amor, denique vt omittam caetera, attrahit me & quasi inflammatum rapit indetessum tuum de bonis omnibus bene merendi studium. Quis ergo Serenitatem tuam beatam neget? Cum non solum naturae quaedam bonitate, sed etiam diuini spiritus instinctu, singulari ad illum, qui supra naturam est, vltimum finem, piam nempe religionem, & religiosam pietatem, sponte ducaris? Sanè nec mundus, nec quidquam eorum, quae mundi sunt, desiderijs animi tui ad summum bonum aspirantis satisfacere potest. Nam in eorum omnium, quae haec vita suppeditare valet, affluentia maxima Electoraliq; dignitate constitutus, singularum natura inspecta, quaecunq; speciem aliquam vltimi finis praeseferre videntur, vel contemnis magnanimiter, vel moderatè complecteris, & omnia summo bono, verbo caelesti postpones, nihil diligis finaliter, praeter aeternam Beatitudinem, quae verè omnium hominum vltimus est finis, cui nihil praefendum, imò nec conferendum esse ducis. Solus certè DEVS, neglectis diuitijs, pretis voluptatibus, contentis honoribus, alijsque id genus posthabitis omnibus, solus inquam DEVS, tibi ante oculos mentis semper obuersatur, cui pie seruis, cui ministras per opera virtutum, quem honoras, Rempublicam *εὐσεβῶς καὶ δικαίως* administrando, subditos pacificè regendo, S. Caesar: Majest: colendo, *ἑτεροδιδασκαλίαν* expurgando, alterius principatum vel regnum non appetendo, hostes repellendo, Iustitiae munia fideliter exequendo, imò omnium actionum, omnium cogitationum tuarum scopus & obiectum est solus Deus. Praeterea de virtute in virtutem quotidie pergens, semper te ipso melior efficeris, & quan-



quantum in corpore fas est, in lumine verbi cœlestis lucem ver-
rissimam, id est, perennem diuinæ claritatem essentiaē contem-
plaris. Et licet hic obscure per fidem in ænigmate per speciem,
quem concupiscit anima tua, videas: tamen hoc ipsum magnæ
vigor est mentis, ibi figere constanter desiderium, quo nequeas
adhuc inferre conspectum. Denique illa, quæ fidem comple-
bunt, spem perficient, charitatē coronabunt, intellectū illustra-
bunt, voluntatis rectitudinem stabiliunt, illa, illa, tibi in votis
sunt præcipua, ad illa desideras, sicut Certus desiderat ad fontē
aquarum. Quare SERENISSIME ELECTOR, Domine
clementissime Te meritò beatum prædicauerim, cum omnia
illa, quæ verè beatum Principem reddunt, aut re ipsa iam pos-
sideas, aut spe certissima exspectes. Vale Princeps optime,
viue valeq; longum, carus Deo, acceptus patriæ, & exoptatus
genti tuæ. Viue Ecclesiæ nutritius, viue Scholarum Pater & in-
crementum, viue ornamentum omnium bonorum, viue Im-
perij columen & emolumentum. Flore feliciter. Augustæ Vin-
delicorum, Calend. Octobr. M D C XX,

Serenit. T.

Humilimus Seruus

VVolfgangus Kilian,
Ciuis & Glyptes Au-
gustanus.





SAXONIAE, TVRINGIAE, MISNIAE, TV- MVLTVARIA DESCRIPTIVNCVLA.

SA X O N I A E, ab eo tempore, quo Romani Imperij dignitate, iure ac maiestate Germanis partâ, inter Prouincias fuit, uariam diuersos in tractus diuisionem reperimus. Superior pars, non longè ab ipso ad Imperiale fastigium euecti Germanici nominis primordio, axiomaticè ex inferiori parte in superiorem translato, ut Principatum terræ seu Ducatum quem vocant comprehenderet, obtinuit. Ac ceteri quidem, vel eidem superiori parti adscripti Principes, Saxonum Ducum titulo, alijs appellationibus suffectis, dudum iam etatem abstinent: vel qui inferiori portioni dominantur, non diu ante eam tempestatem, Saxonia Vestphalorum, & Angriuariorum Ducum vocabulis uti perseuerarunt, qua tempestate genuinus, de quo hic agimus, terræ Saxoniæ, in superiori eius parte situs Principatus, cum solennibus VIIuirum Cæsari eligendo, Magistrorumq; Sacri Imperij Equitum appellationib. atque officijs, ad Tyrigetarum & Mysorum Principes est delatus. Quibus porrò VIIuiralis hic SAXONIAE Ducatus finibus circumscribatur, ab ijs facillè animaduerti potest, qui, eadem in uniuersum superiori Saxonum parte, Misniam ipsam, Voitlandia seu Nariscorum tractum eum, qui rectius hodie orientalibus Mysis accenseri à quibusdam scribitur, Turingiam, uniuersum, quæ Saxonibus colitur, Hercynij nemoris solum, Principatum denique quem Anhaltinum dicunt (ut ceteros vel prophana vel ecclesiastica ditionis Procerum, vel minori existimatione dominatus prætergrediamur) contineri nõrunt. Ex celebris tamen earum gentium historici descriptione diuisa inter Ernestum & Albertum, Friderici II. Placidi, secundi è Mysis, Cæs. creatoris VIIuiri solos tunc è totâ stirpe superstites filios paternæ hereditatis, apparet, Saxonicum, de quo hic loquimur Principatum ipsum, è 17. circiter, Turingicum è 60. Misnensem è 44. urbibus constare & oppidis, quibus Narisca 12. Francica 9. tunc accensa fuerint. Hennebergium Principem Comitatum, certa parte, interim accessisse tempora nostra viderunt: regiones omnes, nullo laudum genere Germanicarum regionum ulli cedentes, quacunque tandem oculos intendas. Caput VIIuiralis territorij Viteberga oppidum permunitum, academiâ, cuius in collectaneis hisce alibi mentionem fecimus, celebre. THVRINGIAM, sumen Germania, ob fertilitatem appellari legimus, atque unâ cum ijs 60. oppidis quæ Saxonum, quos heic exequimur, Ducibus subijciuntur, vrbes habere 144. Comitatus (qui vocantur) 12. pagos 2000. arces 250. Isenacum oppidorum Ducib. nostris obedientium, iam olim primarium, sed Iena ad Salam fluiuium à Saxonum Ducibus ante quadraginta, & quod excurrit, annos Academiâ nobilitata eminet. MISNIA demum, & ferax, & metallis argenti in primis arisq; quinque iam seculis, opulens, præter Misenam ludo illustri (ut & Numburgum ad Salam, Porta ad Muldam sunt) nominatum oppidum, Lipsiam habet, neq; nobili academiâ, neq; munitione Vitebergâ, inferiorem & Dresdam, quartum iam, Ducum Saxonum Cæsares dicentiu sedem, & ipsam, ultra reliquum splendorem, munitissimam. Vinaria Turingia, Altenburgum Misnia, Coburgum Francia, aulis Saxonum Ducum, ab aliquot iam annis, ac hodieque, celebrantur; quodq; obiter hic adijcere libet, quod de Bauaria aliquando legisse nos recordamur, nullum Germaniæ Principum pulchriores Bauaro possidere vrbes; id in Saxonas hosce nostros, Mysos & Turingos Principes magis indies magisq; verè etiam dici posse, non ineptè, fortè, existimemus. Trium porrò Principum Ducibus his subiectarum prouinciarum mentione facta, intelligi, forset nec imperitè volumus, exceptis Nariscis & Francis, quidquid prætereà quocunque titulo, Ducibus his ditionum subest: omnia quippe intra terminos trium istarum regionum iacentia, quocunque tandem ut diximus dominandi iure ad Duces hosce pertineant. Fluiuiorum Saxoniam VIIuiralem, Turingiam Misniam perluentium Albis precipuus, ubi Dresdam alluit, ponte constratus adèò memorabili, ut is pons Reginoburgensi Danubiano, & Pragensi Bohem. Muldano tertius annumeretur, ceteros longitudine antegressus, arcuato scilicet 24. iugorum (è quibus, non multis retrò annis, munitiones eousque productæ quinque iuga abstulisse scribuntur) opere visendus. Inde Sala, Mulda quoque, & Elister, Vnstrutaq; amnes non obscuri. Flumina plura non addimus, imò & hæc, & quæ alia de gentibus his atque terris dici possent, tumultuariâ descriptione persequi super sedemus.



IN LAVDATISS. ALIQVOT SERENIS:
SIMORVM SAXONIÆ VIIVIRÛM ET DVCVM;
MISNIÆ ET TVRINGIÆ PRR. MAIORES
ELEGIA.

Ro Ceris heic Aera nitent mansura vetustis,
Aera nitent magnos apta referre Duces:
Tum quos Saxo Duces reueretur, & auget honore
Dicendi Augustos, Roma superba, tuos;
Tum quos Saxo Duces, demto modo iure legendi
Caesareos Proceres, indigitare solet:
Iura domus intacta licet totius ab vno
Ducantur, seri facta nepotis, auo.
Subfuit ante, subest & nunc Turingia, pingui.
His Dominis, diti Misnia letaq; humo:
Cui veteres rursus nunc accessere Narisci,
Nuper Henabergiq; incola Francus agri.
Diuitis ingenij populos est scribere dites,
Indolis est vegeta, fortia gesta loqui.
Deterat ingenij, non est, cur talia nostri
Culpa, vel imbelles det sine mente sonos.
Fonte caballino, nam largiter ora rigati
Hac dutum Aonijs concinuerunt modis.
Artificis precibus damus Aduersaria, memet
Qua, iuxta ac nullo Consule digna reor.
Quam Turinga tamen sit commendabilis ora,
Sit Mysus quanta nobilitatis ager.
Quis fuerit Saxo, quis sit, belliq; domiq;
Traxerunt animum cetera quaeq; meum;
Edocuit vester, Scriptores historiarum,
Ille operæ plenus, nos oleiq; labor.
Paucula libemus, nullo vel Apolline; rebus
In magnis; paruos, & voluisse sat est.
Caesareo visos, duntaxat, culmine dignos
(Esse hoc contentus, quippe, Catone volo)
Optauere sibi quos regna vel extera reges,
Fert animus, versu commemorare leui:
Vel qui debuerant, populis orantibus vltro,
Summa peregrinis reddere iura locis;
Certatim elatos heroas honoribus, omni
Quæis mens imperio celsior vna fuit:
Quos aliena calor non sic incepsit habendi,
Quin pietas illis fas potiusq; foret.

Thuringos primus qui Mysus addidit heros
Nominibus princeps hisce canendus adest:
Henricum Illustrem cauti dixere priores,
Lata & Munifici voce celebris erat.
Si (credenda canunt magni ut nonnulla poeta)
Conueniunt rebus omnia saepe suis:
Hoc fuit haud procerum meritis illustrior alter,
Ipse bonis nulli moribus alter erat:
Hoc, ætate sua non munificentior vllus,
Celsior ingenti pectore nemo fuit.
Hastica quæis Equitum celebrarit ludicra domis,
Eloquar Historicam prodita festa fide;
Agmine de toto quando indonatus abiuit
Henrici largo munere nullus eques?
An quod Pannonijs (octingentesima messis
Austria, nunc isthac, scilicet, arua vocat)
Pannonijs, inquam, casti post fata propinqui,
Nec se, nec gnatos esse volebat heros?
Quamquam Oratores missos è sinibus illis
Vrsuros omni nosceret ista prece.
Vicerat at regem qua dira cupido Bohemum,
Henrici mentem vincere non potuit;
Cum nec iure minor, regi neque cederet armis,
Armis consilium sed tamen ante tulit:
Quemq; sui iuris Chatti sensere tenacem,
Et quem Turingus nouerat esse virum;
Cum patriam mallet saluam, prestantius idem
Duxit, apiscendis vi, caruisse bonis.

Virtutem & veros, res ergo haud mira, labores
Ex tanto didicit quod Fridericus auo.
(Is Fridericus erat, cui tristi mater amore,
Fecit ab admorsâ nomina nota genâ;
Et tamen est hodie, cælesti ex mente, regentum
Thuringos Mysos Saxonas, ille pater:
Vnde alio dictum, melius, cognomine Fortem
Omne posteritas dexteriore refert)

B

Fini.

Finierat vitam, toto cum germine, Caesar
Maternus postquam Principis huius auus:
Quing, nec attigerat Princeps quinquennia vita
(Vel praecox, virtus teu male tecta manet)
Distulit Italicas iuuenem cum fama per vrbes,
Tam fido laudes illius ore canens;
Deligeret cupide dominum sibi Tuscus ut ipsum,
Insuper hoc ipsum vellet habere caput.
Nec spreturus erat, si non Vefania duri
Intercepisset nobile, patris, iter,
Qui decor at tenerum prouexit in ardua recti,
Ille decor magnum duxit ad astra senem.

In terras, nomen, vestigia clara parentis
Successit gnatus, Caesaris, inde gener;
Successor soceri, tantum voluisset, habendus:
Noluit; hoc, specta tempora, laudis habet:
Hoc plus laudis habet, quanto est augustius unum
Romanum regnis omnibus Imperium:
Quod poterat quantâ rector Grauitate tenere,
A multis tantâ tradita rexit auis.
Atq, quis ipsius sileat laudabile dictum,
Par dicto factum quis reticere velit?
Tertio postremis praeras, Eduarde, Britannis,
Quam fueris, sensit Gallia Marte ferox.
Iste Grauis noster, pugna tibi visus in vnâ
Nec Martis pullis omnibus esse minor;
Cingula pro veteri sibi Equestria more daturum
Sic te, sermo fuit dignus utroq, rogat:
Baltheus est nobis longè gratissimus, offers
Quem, Rex, me propria cingere visq, manu:
Ast me non cinget, nisi qui, quoad exigit auum,
Hostis congressum nullius extimuit.
Tu nihil offensus, mox verba virilia letè
Excipis, & talem queris habere virum:
Principe, tum si quem norit, perquiris ab ipso,
Protinus is dictis subijcit ista tuis;
Est mihi ductor, ait, Turingâ adductus ab ora,
Pectoris exsuperans nobilitate genus;
Nominis eiusdem mecum, sed origine dispar,
Vangenhemiades, nam meus estq, cliens.
Hic vir, hic est, ambo quem quærimus, huius ab acri
Signa manu cupio tradier ista mihi:
Accitur, tradit, similes sibi rege clientes
Voce suâ innumeros huius auente dari.

Parta patri, bellis, insignia gnatus in hisdem
(Robore quaeserat nec leniore, tulit;
Balthasar, ad tantum pugnis subuectus in istis
(Fecerat, & tulerat namq, ibi multa) decus;

Esset uti primus cunctis, à rege, Britannis,
His quoad hospitium quaesit ille locus.
Ciuibus, ergo, suis quàm præcepisse reuersum
Commodus, tot peregrè post benè gesta, putas?

Tertius hand concors Placido cum fratre, Guilelmus
(Cui Placido, Caesar, condere te licuit)
Tertius hic validi non Rex audire Bohemi,
Posthume Rex iuuenis cum morerere, cupit.
Esset ei quauis tua, Posthume, maxima natu
Connubij socio fœdere iuncta soror:
Sceptra, licet, cunctis præ competitoribus ipsi
Primo, magnatum portio magna daret.
Sarmata non ipsis, etiam ille sororius, ille
Competitor, visus commodus esse magis;
Nen Caesar tanti licuit, cum fratre, nec horum
Tirolias habuit qui patruelis opes;
Non Gallus: quorum quiuis diadema petebat,
Cuiq, probabatur sponsa ita pulchra proco.
Alter primatum desert tibi summa, Georgi,
Circulus, ac ipsis ut dominere iubet.
Heic, se dissidijs inuoluere nolle Guilelmus,
Heic, patriam bellis mergere nolle nouis.
Inde, illi facies veterum se offerre malorum,
Inde, graues casus, Misnica terra, tui;
Quos toties fueras experta sub hoste Bohemo,
Quos tulerat bellum nuper herile tibi.
Temporis illius, super hac, reminiscitur, ipsum
Quando propè exitio Praga Bohema dedit
(Auctor eras, Vicethume, doli, qui fratribus auctor
Dissidij Ducibus pernicialis eras,
Nec rex affinis poterat tum ferre Guilelmi
Rebus eam angustis, quam cupiebat, opem)
Hæc igitur secum volentem cuncta Guilelmum,
Quiuit, ut hæc gereret sceptra, mouere nihil.
Quin, quò firma magis concordia paxq, coiret,
Surgeret & populis rursus amica quies;
Rege no, o geniti voluit socer ipse haberi,
Fratre suo, generum regis habere, satum:
Tentauitq, frequens, te, Slesia, vosq, Bohemi,
Otia malletis, num, nec iniqua pati,
Confocero temerè quàm vos opponere regi:
Quæ sit enim bello, senserat ante, salus.
Haud ego, gratorum, quare, sine numine Diuum,
Credo, Ducum ternas nunc superesse domos:
Münsterberga quibus, tum, paret Slesica; partis
Tum quorum, Saxo subdite, iussa colis;
Ac Henetus quorum limes ditione tenetur,
A veteri Brenno nomina limes habens.

Stem-

Stemmatis Elysi, genitrix est gnata Guilelmi;
 Boiemo eduxit Saxonas orta satum:
 Altera natarum Guilelmi maximaq; aeo,
 Brenne, tuo ciui Semideos genuit.
 Ingnatis superest Guilielmus, abinde duabus,
 Ingnata superes, tute Boheme, tuâ:
 Mascula te soboles etsi superesse, Boheme,
 Münsterbrega regens Slesica rura facit;
 Non tantum muliebre genus: quo viuis in vno,
 Sed poteris nunquam, Dux Guilielme, mori.
 Cetera nam supplet meritorum fama tuorum,
 Cum mundi summo nec peritura die.
 Collibet, exemplo tandem doceamus & isto,
 Quam fueris proauo, par bonitate, Graui.
 Iusserat affinis tua iussa capeffere Caesar
 Lucemburgiâ Belgica rura soli;
 Quae socer Augustus promiserat ante daturum,
 Quando tuum gnatum iussit adire thorum:
 Iamq; datum misso retinebas Præsides pignus,
 Cum tibi fors lusus edit iniqua nouos.
 Faemina, quam Boio de sanguine creta, regebat,
 Burgundo partem vendidit illa Duci.
 Promoto gaudet Burgundus limite Ductor,
 Cetera quâ iungat, pergit inire viam.
 Incola & imperium grauter muliebre ferebat,
 Et sese, externo præcipiente, regi.
 Arripit è natis Burgundus idonea rebus,
 Vrbe, simulq; illis inde potitus agris;
 Expositis placat commotum Saxona nummis;
 Mox nostram ira minus, Saxona, iure, mouet.
 Poscit amicitia Burgundus fœdera fratrem
 Saxonis, & dici sanguine iunctus auet;
 Sacra auet hoc fieri per connubialia prolis
 Amborum; tractent qui sibi tanta, legit:
 Turingam attigerant vix hi felicior oram;
 Immeritos turpi prædo furore capit:
 Vindicat ista suo patrata Guilelmus in agro,
 Legatos omni promptus honore fouet;
 Electoris eos dimittit fratris in aulam
 Incolumes, socijs, muneribusq; iuuat:
 Vltima lux venit Vicethumis illa superbis,
 Præcipiti ruerent donec ad ima gradu.
 Iusticia memor & Guilielmus, & immemor ira,
 Magnus apud cunctos perpes eritq; bonos.

 Te quoq; Boiemus, soceri post fata, vocauit,
 Et regnum magnâs iussit habere suum;
 Ac nisi quæ patruum, quoq; te fortuna tulisset,
 Boiemi regis nunc canerere abauus.

Nô animus, tû, ALBERTE, tibi, ne sceptrâ parares,
 Non fuit, in timidos decideratue pedes:
 Venisti optatus, lecto cum milite, tantum
 Libera te ferri vota tuente petens;
 Libera gesturus regnum quod vota dedissent,
 Cunctorum vnanimus quod Procerumq; fauor:
 Ad se quem Caesar, pariter, quem Panno trahabant,
 Sarmata (successu solus & ille bono)
 Ambitus aut horum, sic, magna potentia regum,
 Non quod ceptabas impedisset opus:
 Impedijt te fluxa fides velut ante cientum,
 Vndiq; suspectis insidiosa solis.
 Vnde domos repetens, his immiscerier actis
 Desinis, & solidam laudem aliunde paras:
 Hungara quam peperere tibi, quam Belgica bella;
 Præsides vt audires Belgicus, illa dedit.
 Hector eam propter Germanus, at alite fausto,
 Dictus es Imperij dextra manusq; sacri;
 Dictus es à primi cognato Caesaris, illo,
 Cui Caesar soluit carmine iusta suo.
 Hostis, eam propter, te rex excepit vt hospes
 Panno, tulit verbis vlla nec ante tuis;
 Magnanimo peteres ausu cum regia castra,
 Vnus adhereret vix lateriq; comes.
 Dum nec opinatus, veniâ nihil ante petitâ,
 Dux, ais, ad regem, dicite, Saxo venit:
 Inter latitiam medius Rex atq; stuporem,
 Audijt, vt mixto verba dolore dabas;
 Vt te bellatum linguâ venisse negasti;
 Faemineo verbis prælia more feri:
 Non solenne tibi dictis arroderere reges
 (Presserat hoc, nam, te crimine rumor iners)
 Castra sequi solitum esse tibi, concurrere ferro,
 Pugnando ob patriam, vulnera cruda pati.
 Necdum finieras, cum Rex clarissimus armis
 Annuit, amplexu perfruiturq; tuo:
 Parua mora est, sensit coram, quid Marte valeres,
 Duxit in Austriacos cum sua signa lares.
 Dante, tuum memorem, Frisios quid, Casare munus?
 Te modo siuissent viuere fata, tuos:
 Terga prius Frisii siuerunt cernere victi,
 Atq; tuo, partem, subdere colla iugo;
 Obsesso sunt passa prius succurrere gnato:
 Post, suprema tibi dona dedere, Polum.
 Principis inuentum Burgundi illustre, siletur.
 Pulcher Iâsonij Velleris Ordo mihi;
 Contulit Alberto, PRECIUM NON VILE LABO-
 Burgunda Caesar quod sociatus heræ; [RVM,

Argenti

Argenti puras, non addo, sedilia, massas
Herói & mensam qua tribuere meo;
Pransus ubi in medijs hilaris conuiuia fodinis,
Visus nec tritauo est inferiora sequi.
Misnia nec venis fuit his felicior unquam,
Acres cum Mysas hi tenuere duo.
Illustrem Albertus tritauum seu laudibus aquet,
Seu superet, mundo stante, perire nequit.

Ad te conuertor, SAPIENS FRIDERICE, creandi
Caesaris, à proauo iure fluente, potens.
Ordiam unde tuis, dubito, praconia factis
Sumere; te digni sunt ea Vatis opus.
More meo, leuiter de multis paucula tangam,
Vt si quis summam de mare carpat aquam.
Imperij Praeses tu Prorektorq;, creatus,
Implesti sacris Caesaris, ergo, vices.
Hoc tuus, officium Caesar tibi detulit ultro,
Sobrinus, non tam motus amore tui;
Quàm quòd te nòrat (breuiter simul omnia dico)
Is quo te viuus iusserat esse statu;
Hunc tibi seruauit moriens: seruauit eundem
Carolus, astrigeram dum petis ipse domum.
Carolus, Augustum, cui tu certissimus auctor,
Propatris vt solium Caesar haberet, eras:
In quod collegæ cuncti te voce leuabant
Vnanimi, solâ non statuente tuâ.
Carolus, aiebas, rerum admoueatur habenis,
Illius hæ saluæ viribus esse queunt;
Illius ingenio florentibus illius annis:
Cedat ei Gallus, cedo ego sponte locum.
Non etas moli par est, non cetera, tanta,
Quæue pater nobis, quæue reliquit auus.
Indigapollentis venientia tempora scimus
Caesaris, & patriæ quis sit habendus honos:
Libertas vetat admitti Germanica Gallum,
Frena nec externos nostra tenere sinit.
Ipse ego, qui rebus sacra vice, praesto, regendis,
Conscijs officij quid velit ordo mei;
Latuos omnes mecum suffragia, feci,
Vos testem vestra in vota vocare Deum:
Augustum nobis nullum fore, remq;, Quiritum
Non permissuros ullius arbitrio;

Quàm, quem cunctorum nostri sententia concors
Corporis, unito proderet ore, virum.
Austrius eligitur. Laudes tu laudibus addis;
Nec placet Augusto census honore magis:
Fronte graui, Friderice, oblatum respuis aurum,
Adjicit hæc, aureis excipienda notis:
Legati orabant, solùm paterere cohortem
Ferre ministerij, præmia parua, tui.
Tu contra: capiat, veto nil, hodie illa minister,
Crastina lux cernet non tamen esse meum.
O virtus, o vox antiqua plena fideij;
Huic voci cæli maxima porta patet.

Carminibus nostris addes colophona GEORGI,
Iusticiâ dubium, vel grauitate prior.
Quantus in arma ruas, Frisij sensere procaces;
Et cæcis surgens rustica plebs furijs.
Donec adactus heris rursus parere colonus,
Dum pausam Frisix pacta dedere rei:
Pacta, quibus patriâ tibi nil dilectius vnâ,
Constitit, illius flore priusq;, nihil:
Perdere longinquos visum inconsultius hostes,
Atq; ita vel iuste parta tenere, tibi est:
Quàm seruare tuos, Dux prudentissime, ciues:
Sic Ducibus, patriæ conciliatur amor.
Hic amor, hæc eadem docuit Sapiencia, rectum
Te colere, & rigido plectere iure scelus;
Alberti patris mores referentibus actis
Caesaris & Regum consequi amicitias:
Instar vni patris, tua vellere colla niterent
Phasiaco, hinc factum quisque fuisse videt.
Maçte tuis, Princeps, virtutibus inçlyte, semper
Tu nec in ore parum posteritatis eris.

Iam diuerticulis heic meta loquacibus esto,
Si mihi permittit dicere vera pudor.
Tu, quicumq;, leges, præter mea carmina, dicis,
Immo ego prorsus idem sentio, scripta casam.
Cur, ais, hos, quorum non heic datur ora tueri,
Addidit huc cæli nec quis acumen habes.
Nescio; ni tu me voluisse adponere viuas
Virtutes viuus credis imaginibus:
Viuarum quoque viua, licet, præbebit imago
Virtutum exempli qualibet vna satis.

PRR. ELECTORVM AC
DVCVM SAXONIAE ORIGINE
MISNENSIVM &c.

AERE, HEIC, EXPRESSORVM,
NOMINA.

1. FRIDERICVS I. BELLICOSVS, DVX SAXO-
NIAE, &c. ELECTOR.
2. FRIDERICVS II. PLACIDVS, DVX SAXO-
NIAE ELECTOR.
3. ERNESTVS RELIGIOSVS, DVX SAXONIAE,
ELECTOR.
4. FRIDERICVS III. SAPIENS, DES. REX ROMANOR.
&c. DVX SAXONIAE, ELECTOR.
5. IOHANNES CONSTANS DVX SAXONIAE,
ELECTOR.
6. IOHANNES FRIDERICVS I. MAGNANIMVS, DVX
SAXONIAE, ELECTOR.
7. MAVRITIVS MAGNVS, DVX SAXONIAE
ELECTOR.
8. AVGVSTVS I. PIVS, DVX SAXONIAE
ELECTOR.
9. CHRISTIAN. I. DVX SAXONIAE
ELECTOR.
10. FRIDERICVS GVLIELMVS DVX SAXONIAE &c.
PROELECTOR.
11. CHRISTIANVS II. DVX SAXONIAE, &c.
ELECTOR.
12. IOHANNES GEORGIVS, DVX SAXONIAE,
ELECTOR.

Ducum Saxoniae

- 1) ALBERTVS DVX SAXONIAE, &c.
- 2) GEORGIVS DVX SAXONIAE,
- 3) HENRICVS DVX SAXONIAE,
- 4) IOHAN. ERNESTVS DVX SAXONIAE.
- 5) IOHAN. FRIDERICVS II. DVX SAXONIAE.
- 6) IOHAN. VVILHELM. DVX SAXO.
- 7) IOHAN. II. DVX SAXONIAE. &c.
- 8) IOHAN. CASIMIRVS DVX SAXONIAE;
- 9) IOHAN. ERNESTVS DVX SAXONIAE, &c.
- 10) AVGVSTVS, DVX SAXONIAE &c.

C

FRIDE-

FRIDERICVS I. BELLICOSVS

E MARCHIONIBVS MISNIÆ &c. PRIMVS

DVX SAX. ELECTOR.




SAXONIAM, instar reliquæ Germaniæ suorum ex sese populorū, à primo eorum ex Oriente aduentu, procreatricem atque matrem, & à principio, discretis terrarum tractibus, diuersi Principes ac Domini habuere; & etiamnum habent. Nam veterem quidē illam, vnus omnino Reipublicæ corpore formaq; comprehensam (cuiusmodi olim ferè Achæorū aut Ætolorū in Græciâ publicæ res fuerint) & in duodecim, vt vocantur, Toparchias diuisam, à totidem, primæ nobilitatis, virorum collegio quasi & Senatu, comūni consilio & auctoritate gubernatam; eosdem verò duodecim viros, suam quemq; seorsūm à ceteris, ditionem possedisse, tametsi comūnibus æquè patriæ legibus & institutis obnoxiam; Saxonum historijs credimus: simulq; hoc ex eorum monumentis haurimus; complures fuisse nobilissimas eius nationis familias (earum hodie quoque nonnullas superesse) quibus è familijs, duodecim isti Primores, nunc ex hac, nunc ex illâ, prout res vsusq; ferret, desumerentur. Vnde facilè colligimus; tot illustrium domuum Proceres, non minus ac Toparchas illos gubernatores, suis etiam, separatim quemque, ciuibus imperasse: vt interim omitteremus; Saxones sibi tunc Regem, nisi eum bellandum esset, nullum constituisse: finito bello, quo durante summa rerum penes regem omnium erat, abdicato statim regno nomine, Duodecimuiratus dignitatem (nam antea vnus è Duodecimuiratū numero fuerat) eum recepisse, nec quod regis aliquando titulum & potestatem gessisset, prærogatiuâ vllâ gauisum. Postquam Franci ad cultum primò Christi opt. max. mox ad Cæsarum obsequium Saxoniam adduxere: mutatâ in ceteris publici status facie; Imperatorem indulgentia, LEGES PRISCÆ, & certis Saxoniarum terrarum partibus dominantium VARIETAS, hætenus mansere; vt ILLIS, Christianæ pietati non derogaretur: HAC, mutatis aliquâ regentium titulis, honoribus, atque officijs, suâ maiorumque virtute ornatissimo cuique nihil decederet. Atque ad posterius hoc quod attinet, in eosdē propè mores cum ceteris Germanis Saxones transiire: aliquando quoq; Romani Imperij decore, & maiestate (qua hodieque potiūt) Germanis partâ, post Francos, Cæsares aliquot dedere, potentia & insigni ad excelsâ omnia laude florentissimos. Ceterum (vt propius tandem, quo contendimus, accedamus) ætate nostrâ, à duobus & vltra, iam seculis, SAXONIÆ DVCV M titulus duabus antiquissimæ originis stirpibus tribuitur: quanquam à Brunsvico & Lunæburga vrbibus amplissimis, qui denominantur Duces clarissimi; Anhaltini Principes, genere, ex quo priscorum duodecim Toparcharum vnus interdum deligi solebat, orti; alijque eiusdem ordinis, agris potissimum Heneto Vindoque quondâ hosti ereptis, & Saxoni colono distributis imperantes (in quibus Brandeburgios, Megalburgenses, Pomeranos, è vetustis scilicet Saxonum legibus jus dicentes, Borussos adeo, sunt qui censeant) quidam etiam Belgis ferè inserti; diuersi item, diuersorum graduum Antistites & Præsules) vt Comites interim, aliosque, illustri loco ac nobilitate ijs quos diximus, inferiores, vrbes item liberas, quæque Cæsarum in clientelâ sunt, taceamus) latissimè dominantur: nec scio, contractioribus hodie, quam olim, quod quidam volunt, an patentioribus Saxonum finibus, quos tanta Saxoniarum coloniarum, quam attigimus, multitudine ac frequentia prioribus terminis auctiores etiam factos credibile sit. Saxoniarum verò (nostro æuo, summa diuisione, in superiorem, de qua nos agemus, & inferiorem tributâ; nisi accuratâ, diligentium hominum, in quinque prouincias seu tractus, plurium vnumquemque regionum, partitioni merito adquiescimus) vt dixi, Duces appellantur, cum ijs qui Vestphaliæ (quæ occidentalis Saxonum portio) partis non contemnendæ possessores, Leoburgo seu Lauenburgo in arce sedem habent, Vestphalosque & Angriam Saxonibus, in titulo, adiiciunt; de quibus sanè Ducibus nunc dicere non proposuimus: tum, qui Myrorum ac Tyrigerarum, Saxonici, ab antiquo, soli incolarum Principes, annis abhinc CXXVII. vt Saxonum Duces vocarentur, meruere; cui appellationi eligendi Romanorum Imperatoris suffragium summo, sacri Imperij equitum Magisterio coniunctum, perpetuò adhæret: quod genuinus is, quem appellant, Ducatus sit, axiomate eo, ex inferiore, penes quam principio fuerat, superiorem in Saxoniam dudum ætatem translato. Neque verò iam cetera, quæ vsquequaque huc pertinent, prolixius exsequemur: sed quod nostri propositi est; cuius heic effigiem primū spectandam exhibemus, FRIDERICVS, è Misnensibus istis, horū Ducum primus est: genere, Saxo; vt ex annalibus clarum, à Vedechindo vltimo Saxonum in bellis

contra

contra Carolum magnum Francorum regem Romanorum primum è Germanis Imperatorem gestis, fortissimo & clarissimo rege oriundus, conditione, Misnensium & Turingorum Princeps, seu (quibus vocabulis hodie vtitur) horum: Landtgrauus, vel Prouincialis Comes; illorum Marchio: cuius maiores Cæsarum gratiam, limite, cui (ab Henrico primùm Aucupe Cæsare designato, circiter annum 930.) præpositi erant, pulsus deletisque Henetis fortiter ac feliciter prolato, collegerant: Turingiam, proximitatis iure, confirmante ad annum 1227. possessionem Friderico II. Aug. adepti fuerant, simulque Saxonie Palatinatum, à quo tamen, Duces facti, denominationem sumere posteri desierunt; nihiloque secius, inter cætera beneficia, Palatinatum hunc ab Imp. petere & adipisci nunc quoque consueuere. Hic itaque FRIDERICVS, patre sibi cognomine, matre Catharina Principe Hennebergiâ genitus, inde vsque ab adolescentia, quam omnem præclara cum laude in castris egisse scribitur, & bello eum se præbuit, vt Bellicosi cognomen ei non minus conueniret, quàm patri eius strenui adiecta vox conuenerat: & pacem ita coluit, vt bonorum omnium animos in perpetuum sibi deuinciret. Quo in genere sunt; Lipsensis, in Misnia, Academia, anno reddita salutis 1409. ab eo facta institutio, maximum studij tranquillitatis salutisque publicæ argumentum: in vindicando domi legum contemptu & improborum petulantia iusta seueritas, clementia, vbi vsus esset, & æquitate temperata; inter alia, è prudenti cum Erfurdianis, ob cuius ipsorum cuiusdam facinus obortæ controuersie compositione elucens: neque aliò, quæ de Ballenstadio diruto, & Honsteinio Comite ad officium reducto, à celeberrimis historicis produntur, referimus: nisi talia, partem, bellico decori adscribamus; vt & ea quæ contra Heldrungum, Suarceburgium, Reinsteinium, Comites; Staupitium, Vicethumû, Quitezanû, Nobiles; finitimos, aut clientes suos; quæque adolescens contra fœderatas Imperij ciuitates in Franconiâ; quæ in Liuoniâ; quæ in Bohemiâ, Guilhelmo patruo Pragæ obsidente, animosè gessit: cum Bohemico & Liuonico bellis, solennia Equestris dignitatis ornamenta, fortitudinis & rei bene gestæ ergò, vnâ cum suorum multis Misnensibus & Turingis nobilibus acciperet. Bohemica denique, quæ annis admodum multis ipsum exercuere, bella, vel victoria, vt ad Bruxiam, & Carolosteinum arcem, finita; vel hostilium certè à patriâ armorû auersione terminata; vel denique Sigismundo Cæsari, Hungariæ & Bohemorum regi ad facilius postea vincendum aditum facientia; tantum gloriæ, tantum auctoritatis Friderico pepererunt; vt tantis eius virtutibus, tot in se meritis, motus quem nominavi, Imperator, hac procul dubio referendæ gratiæ occasione cupidè arreptâ; ei vacantem Saxonie Principatum libentissimè conferret, quo iure, quibusque prærogatiuis & priuilegijs priores domini tenuerant, ipsi, posterisque eius, Cæsarum concessu, possidendum. Ante hunc Anhaltino stemmate editi, post Guelphos, ducentos supra & quadraginta años, Saxonie rebus Duces, Cæsarijque Creatores præfuerant. Extremo eorû Alberto sine liberis defuncto, Ericus, demortui gentilis (nam Anhaltinorum hæc stemmatis pars duas in lineas abierat) & proximus agnatus, Saxonum Dux Lauenburgius, quòd diem petendo beneficio seu Feudo iure clientelari præstitutum exire passus esset (quamuis Cæsareum diploma anno 1426. Friderico datum, auctoresque alios, alias etiam causas afferre intelligamus) Ludouicus Comes Palatinus Rheni, cognomine barbatus, septem, Cæsares creantium, vnus, pro filio, frustra contenderunt. Anhaltinorum ipsa gens, etiam Rudolphi & Alberti, vltimorum, ea de gente, Septemuirum iudicio digna, quæ huc eueheretur, pridem tamen, credo, remotior, quàm quæ iura sanguinis, tãto post interuallo, prætenderet, nihil ambiuisse legitur. Brandeburgensis, nouus & ipse ab eodem Cæsare inauguratus Marchio VIIuir Fridericus, cuius filius Ioannes, Rudolphi penultimi Anhaltinorum, ante Albertum fratrem, VIIuiri filiam in matrimonio habebat; cum ab Alberti statim obitu, Vitebergam, totumque illud septemuirale territorium, cum alias ob causas, tum ad conseruanda sacri Imperij & Augustorum Cæsarum iura, suam in potestatem recepisset, impensis quas eam in rem fecerat sibi redditis, & certa nummorû summa redituum ad vitam socri filij assignatorum nomine accepta, à postulatione sua omni destitit. Competitoribus cunctis prælatus Misnensis, Cæsare anno 1423. die Magis Christi infantis adoratoribus solenni, pollicente, anno postea 1424. insignibus, Posonij in Pannoniâ, oblati Saxonie Dux VIIuir renunciatus fertur: sequenti anno, Badæ diplomate dato, alioque fidei etiam magis faciendæ, renouandæque quasi gratiæ per paucis post diebus addito, confirmatus est, & mox paulò, pro Cæsare, à Ioanne Lupfensi Comite in possessionem missus; amplioribus litteris, quarum & prius meminimus, eundem ad finem, anno 1426. adiectis, quibus Lauenburgio in primis competitori omnis aditus præcluderetur. Tam benefico Cæsare, haud illiberalior Princeps, cum, præter quam Brandeburgensi numerârat pecuniam, quidquid impendiorum in Bohemicos tumultus fecerat, omne suis ipse rationibus expensum tulisset; tum eo, quem nunc iam nominavi anno, lega-

tos cum

tos enim insigni sanè exercitu, Caesaris commodo, contra Bohemos Hussitas misit, non eo certè
 quæram expectabat euentu; cæsis, & in fugam versis Misnensibus, quos domo profecturos, per ab-
 sentiam mariti, Catharina vxor, Henrici Brunsvicensis filia, virili animo ad fortiter pugnandum
 oratione sua excitare conata fuerat. Auficensis illius pugnae tristem exitum Fridericus acerbè qui-
 dem tulit; neque tamen nimium deiectus, raunitis oppidis & locis idoneis, suos admodum con-
 sternatos, quantum poterat, confirmavit atque erexit: pauloque post, cum in aduersam vale-
 tudinem incidisset, de patriâ sollicitus, vocatos ad se, Fridericum & Guilhelmmum filios (nam ce-
 terorum liberorum, Sigismundus, postea aliquandiu Wirceburgensis Præsul, tunc duodecim an-
 nos nondum egressus erat, sextum Henricus nec dum attigerat; è filiabus, Anna Ludouicum
 Hassiæ Principem, seu vt vocant, Lantgrauium, Catharina Fridericum, Friderici filium, Electorem
 Principem Brandenburgicum, coniuges deinceps habuere.) multis ad concordiam & gerendam
 bene rempublicam est adhortatus: oborto etiam morbo, maiori natu filio regendi onus statim
 imposuit; & demum pridie nonas Ianuarij anno Virg. part. 1428. vitam placidè finiuit, Misenæ
 in summi templi Sacello, quod sacellum ipse fundauerat, redivisibusque amplis instruxerat, tumu-
 latus. Catharinam Friderici coniugem Anno 1442. extinctam, Misenæ quoque, ad mariti
 latus terræ mandatam esse: Guilhelmmum fratrem, qui vxorem nunquam habuit, anno 1425. aut
 sequenti Misenæ aut Veidæ mortuum, Altenburgi Myforum, in Georgiano exstructo à se, in arce,
 templo, cui collegium Sacerdotum adiecerat, sepultum legimus; Georgium, Principum fratrum
 natu minimum, ante eorum vtrumque, in oppido Franconia, quod matris dote Misnensibus ac-
 cesserat, Coburgo, cœlibem & ipsum, anno 1401. mense Decembri, vitam finiuisse, in Portensi
 cœnobio humatum.



FRIDERI.

FRIDERICVS I. BELLICOSVS DVX
SAXONIAE, &C. ELECTOR.



*Primus hic, e Mysis, factus Dux Saxo, creantum
Augustos Procerum pars FRIDERICVS erat.*

Qui dominum, Saxo, te, Casare dante, recepit,
Te colet, vsq; suas dum vehet Albis aquas:
Bella quod aduersos gessisti creber in hostes;
Casuro nunquam nomine perpes eris:
Misniacis, FRIDERICE, nec ante tacebere Musis,
Atq; dies musis quando supremus erit.

D

FRIDERICVS II. PLACIDVS DVX SAXONIÆ, &c. ELECTOR.



Successit patri eiusdem cum ipso nominis filius, in ius & titulum eligendi Cæsares, vt natu maximus, pro more, solus: ceteris, vt assolet, appellationibus inter fratres communibus. Initia gubernationis expertus est admodum difficilia: vnus anni spatio, Bohemis, pulso ad Nissam Silesiæ oppidum Misnensi milite, fugatoque eo in Osterlandiâ (orientalis ea Myforum ora) cæso denique Friderici equitatu, ter vincentibus, ipsamq; Misniam omni belli clade non semel deuastantibus. Successere tempora, quibus ad annum 1438. propè Satium, propè Selnitium, Bohemos, Sternbergio etiam, magni nominis ductore ipsorum capto, Elector profligaret; pro Alberto Austrio Cæsare II. Polonos Bohemis rebellibus auxilium ferentes dissiparet; Sigismundum fratrem, VVirceburgium Præsulem creatum, suis & Guilelmi fratris opibus tueretur, donec post mutuum, ex inopinato concursu, Misnensium & alteram partem defendentium Brandenburgiorum cladem transactio sequuta. Ac Sigismundus quidem, Præsulis munere abdicato, certis redivis contentus, anno postea 1457. domi vitâ functus est: quum Henricus, eorundem fratrum vnus, anno 1435. ætatis 12. obiisset. Inter Fridericum verò, & Guilelmum, circa annum 1445. bellum exortum: illo, Gerensis & aliorum è suis iniurias defendente: hoc, Apollonij, præ alijs, Vicethumi, ex equestri familiâ, fraternarum, Ænea Siluio testante, incentoris discordiarum consilijs aures præbente: & miserius eò, quod ciuile fuit; & atrocius, quod intercessionibus, per legatos, per litteras, nec Friderici Cæsaris III. nec aliorum Principum componi posset: quousque ipsi fratres, nihil tale opinantibus vel consiliarijs ipsorum, vel alijs omnibus, vtraque iam stante in procinctu acie, in mutuos amplexus ruerent; postquam Fridericus cuidam pollicenti, se emissâ pilâ, destinato neque aberrante ictu fratrem ipsius petiturum: feriret quem vellet, modò ne fratrem; respondisset, eaque vox humanitatis plena ad Guilelmum delata, eum ad plenum fraterno amore etiam suum pectus denudandum impulisset. Reconciliatâ sic inter eos, post has quinquennij penè integri calamitates, gratiâ, & conuentu Mülhusano, dissidijs sublatis omnibus, nunquam deinde fratres inter se dissederunt. Seditiosis aliquot, finito bello, multatis, Vicethumus quoque demum, cum gentilibus & socijs, Guilelmi odium incurrens, exutus bonis, solumque vertere est coactus. Fridericus in sarcinendis clientium suorum, quæ fratrum bello acceperant, damnis munificus, cum Conradi cuiusdam Caufungi nobilis, quod is eum non vt beneficiarius, sed stipendio militans, læsus fuerat, rationem habere nollet, ac minaci illius maledicentiâ adactus, hominem finibus excedere iussisset: Conradus audax aggressus facinus, absente per æstatem anni 1455. Electore, Altenburgiam, Myforum, in arcem, nocte intempesta, Iulio mense, scalis appositis, conscendens, duos Principis filios, Ernestum & Albertum; illum 14. hunc 20. annorum pueros, solos ex omni eâ stirpe, mortuo patre, superfuturos; & stemma propagaturos (quòd Guilelmus patruus, demtis Margaritâ & Annâ filiabus, prolem, quanquam ex duplici coniugio, haberet præterea nullam) è cubilibus suis ablatos secum adsportauit, amissa nimirum plagio recuperaturus. Verum Numinis prouidentia, vel periculum, vel excidium illustrissimæ domus confestim auertente, Conradus altero mox die, maturè, cum iuniore Alberto, carbonarij forte fortunâ ipsi occurrentis operâ, deprehensus ac captus est: è socijs eius, qui Ernestum abducebant, impunitate promissa, eum sponte reduxere. Elector, vnâ cum Margaritâ vxore, Friderici III. Cæsaris sorore, lætissimus, gratiis Deo, vt debebat, actis, quòd liberos incolumes recepisset; in Conradum ipsum, misericordiam eius implorantem, adeò placabilis fuisse perhibetur (magnanimitati enim coniuncta in ipso morum lenitas placidi ei cognomentum addidit) vt capitalem pœnam nocens omnino fuisse euasurus crederetur, si nuncius eam ob rem Freibergum missus, clausis de more, plagiario iam plectendo, oppidi portis demum veniens, temporius paullo adfuisset. Ceteri Conradi socij, præter, quorum meminimus, noxæ exemptos, ante ipsum, eoque spectante, supplicio adfecti fuerant. Didericus illius frater, amarulenter, audito facinore, nidum sanè, sed à uitio vacuum, à familiaribus Principis repertum iri quòd iactasset, capite & ipse tandem luit. Quæ denique Friderico huic cum Magdeburgensi Antistite Friderico, è Beichlingis Comitibus, aliquando contentio intercessit, compositione memorabili, eorum vtrique sempiternam haud dubiè parit gloriam: & Antistiti; non arma contra parenti, sed causam suam Dei patrociniò committere sese dicenti: & Electori, vbi Præsulem ita loquutum accepit, cum eo qui Deum defensorem habiturus esset, belligeratum se neganti. Acta eius cum Naumburgijs, Halensibus, Anhaltino Principe; defensum, iussu Cæsaris, Lignitium Silesiæ oppidum, & quædam alia, breuitatis studio præterimus. Decessit intrepidus iuxta ac mitis Princeps, Lipsiæ, VII. Idus Septembris, anno ætatis 53. nati Seruatoris 1464. Misnæ in Sacello primariæ ædis, cuius Sacelli, post patrem, secundus ipse fundator habitus, conditur; relictis, præter quinque filias, duobus modò, quos nominavi, filijs (in infantia enim & pueritiâ ceteri obierant) & vxore viduâ quæ 20. annis marito superuixit, non Misnæ, sed Altenburgi Myforum, vt diligenti Chronographo placet, sepulta. Guilelmus, Electoris frater, ex prouinciarum diuisione, Turingiæ possessor, Princeps omni vita bellicosissimus anno 1483. Vinariæ, apud Tyrigetas suos, viuis exemptus, eadem in vrbe, monumento illatus est.

FRIDERICVS II. PLACIDVS, DVX
SAXONIAE ELECTOR.



*Fecerat agnomen genitori bellica virtus,
At placidi mores id posuere tibi.*

Nomine, cum patre, & virtutibus, audijt idem,
Magnanimi placidis pectoris hicq; bonis.
Consilij, eius fratri, sed futilis vnus
Auctor, erat belli fratribus auctor heris.
Principibus nostro qui tempore consulis, huius
Aemulus auctoris ne videare, caue.

ERNESTVS RELIGIOSVS, DVX SAXONIÆ &c. ELECTOR.



ERNESTVS, sequenti post mortem patris anno, cum Alberto fratre, insigni comitatu, Cæsare auunculum, Fridericum III. adiit: ab eo, Neapoli in Austria excepti habitique amantissimè sororis filij; vterque Saxoniæ, ceterosque Principatus & ditiones; maior natu VII. uiri quoque Cæsarem creatoris titulum ac dignitatem (cum suam etiam, de more, fidei Rom. Imperio obstrinxissent) solita collatione, susceperunt. Rediens domum Ernestus, Alberto Principi Brandenburgio, qui Germanicus Achilles ob virtutem dictus est, contra Saganensem Silesiæ Ducem auxilium tulit, ipse primò contra Plauensem eos qui ipsi suberant, nobiles præsertim, insolentius tractantem, in Voilandiam (Nariscorum olim sedem) exercitum eduxit, Plauam, caput illius agri, oppidum, eiusque arcem cepit. Ceteris locis ipsi fratrique sponte se dedentibus, Voilandiam etiam circa annum 1466. Mysorum Saxonumque facta, ac Plauenensis, amissis bonis, in Bohemiam abiit, & pecunia ab Electore accepta alios alibi fundos sibi comparauit. Turbidis Bohemorum rebus, cum in conuentu Norimbergam indicto de sumendis in Bohemos armis referretur, Ernestus, Guilelmo patruo, & Alberto fratre assentientibus, operas opesque suas, aui & patris exemplo, pro religione & patria, promtas paratasque obtulit, si communibus totius Germaniæ auspicijs, & Imperatore, aut ipso summo belli Duce, aut Legatum sibi aliquem cum imperio Germaniæ Principem constituentem, ordinibusque ceteris vna militantibus, res gereretur: alioqui se, & potentiâ inferiorem, & Bohemo Regi affinitate, per patrem, summo etiam Pontifice & Imperatore non improbantibus, iunctâ, propinquum, exhaustâ insuper plurium annorum cladibus & detrimentis Misniâ, suisque populis, quomodo primum negotium hoc aggrediatur, non videre. Iusta hæc excusatio visa; nec à ceteris aliquid tentatum. Sed cum Hungari & Poloni inter se deinde, & cum Bohemis, variè de regno contenderent; Elector, & frater, ac Brandenburgij Marchiones, ne cognato regi (is Georgius Podiebradius erat) planè deessent, Vratislauensium Bohemiam infestantium impetum equitatu suo repressere; ac triennio à morte Georgij, Elector Rifebergam arcem Bohemicam, & cum arce suâ Duxam oppidulum occupauit. Moti subinde præsentis ipsius & Brandenburgien. Electoris Iohannis intercessione & auctoritate Reges, Matthias Hungarus, Polonus Casimirus, & Poloni filius Vladislaus, cui ex Bohemis plerique regnum iam detulerant; ingentes copias, cum quibus ad Vratislauiam Silesiæ urbem, dimicaturi, magno Germaniæ periculo, confederant, sine dimicatione, & maiori maleficio, domum reduxerunt; luculentâ tum oratione à Iohanne Brandenburgio habitâ. Ter mille quidam, alij sex contumaces auxilio, si res posceret, futuros. Præter hæc; Ernestus Quedlinburgum urbem sororis suæ Hedwigis, deuotarum in eius urbis cœnobio virginum maximæ dicto minus quàm decebat audientem compescuit: cognomini sibi filio Magdeburgensi Antistiti, Halam Saxonice in salinis urbem, contumaci ciuium discordiâ; occupatam arce impositâ in officio retinere studentem, suppetias tulit: seditiosos Halberstadiensis, biennio ferè postquam Româ, quò religionis ergo iuerat, reuersus esset; & Erfurdianos, Moguntino Antistiti Alberto, filio item suo, & in Cæsaris dicendis collegæ, ubi æquum erat, minus obsequentes, officium facere coëgit. Cum Alberto fratre coniunctè semper vixit, eiusque de consilio, sumtus mensarum, vestium impensas, mercedes operatum, latis legibus (quæ à successoribus deinceps sæpe instauratæ sunt) coërcuit: illiberali, cauponum, institutus est, eum ad modum, quem è prolixioribus hæc describentium libris petere licet: inter alia metallorum prouentibus & decimis æquali portione inter vtrosque distributis. Nam eo tempore Misnenses fodinæ adeò vbères fuere, vt Mysi & Saxones, post Bohemicos motus superatos, hoc sub Principe mirificè florerent, vlti diuitias quas attigimus, festâ pace lætos incolas recreantem, & Ernesto Albertoque Imp. regum Principumque maximorum fauore & amicitia validissimis. Ab eximio etiam religionis studio Ernesto religiosi vocabulum accessit. Is apud suos exterosque omni laudum genere vehementer cumulatus, vocante auunculi Imperatore, Francofurtum ad Comitiam initio anni 1486. cum accessisset, & cum collegis, auunculo filium Maximilianum Cæsarem designasset, in patriam regressus, eodem anno, Coldicij, VII. idus Septembris expirauit, & Misnæ ubi annos ante 46 natus fuerat, sepultus est: cum Ernestum Magdeburgium, Fridericum, & Iohannem, filios; Margaritam Henrici Ducis Brunsvicensis & Luneburgij vxorem; Christinam, Christiæ II. Danorum regis ex Iohanne rege matrem, filias; superstitibus relinqueret: Albertum vero Moguntinum VVolfgangum puerum, viuis amisisset; & vxorem Elisabetham, Alberti III. Boiorum Ducis filiam, biennio ante quam ipse moreretur, Lipsiæ in Paulino, vt ipsa voluerat, sepeliuisset.

ERNESTVS RELIGIOSVS, III. DVX SA-
XONIAE ELECTOR.



*Omibus ERNESTVS dignis Duce dotibus ingens
Septemvir tali Saxo fuit facie'*

*Quaquam esset belli claras satis aptus ad artes,
Pace tamen letâ maluit esse bonus:*

ERNESTO dominante, magis quàm, Misnia, pridem,

Faeta argentiferis montibus intumuit.

Ereptos plagio Diuina potentia seruans,

Sic dignata fuit nempe beare Duces.

E

FRIDERICVS III. SAPIENS DESIG. REX ROM.

IV. DVX SAXONIAE ELECTOR.



Rnestum patrem, FRIDERICVS grandior natu filius, Ducum Saxoniae hoc nomine, è Myfis, tertius, ex iisdem VII virum, quartus excepit, optimo quoque decessorum suorum maximis virtutibus non inferior. Maiores nostros, non temerè multis magnorum Principum agnomina, ab ea inprimis virtutum, quã maximè quisque Princeps excelebat, imponere solitam, in hoc nostro perspicimus. Trita enim eius, Friderici Imp. II. è Margaritã filia nepotem (longius enim ire nolumus) Fortem cognominarunt; atavum, Grauem; abavum, Strenuum; Fridericos omnes, Myfis & Turingis imperantes. Proavum, avum, hos quoque Fridericos; partem huius nostri Friderici Ernestum, quibus ornarint cognomentis, suo, ad quemque, loco, docuimus. Ipsum verò nostrum hunc, Sapientem edidère; verissimè utique, ut ex sequentibus liquebit. E militaribus eius operis sunt; quas, unã Iohanne fratre, Maximiliano Cæsari (cui planè erat charissimus) à Matthiæ regis excessu, in Hungaria præstitit: quas enim, bello contra Venetos ex fœdere Cameracensi, ei præstare constituerat, reuocatus magnis de causis domum, absoluerè, ut volebat, non potuit, Ceterò qui etiam Vrielem Moguntinum Antistitem, dissidijs & contentionibus alendis nimio plus deditum, ad pacatioris suscipiendas cogitationes, & consilia moderatiora agitanda compulit. Erfurdia Turingorum vrbis ciues, magistratui suo aduersantes, ut quiescerent effecit: vbi obsessa vrbe militaribus quibusdam viris, si quinque duntaxat militum iacturam facere non grauaretur, se vrbe potiundi facilem viam inituros dicentibus, memorabili dicto eum respondisse ferunt; sibi vel vnus viri iacturam nimium grauem videri. In veteri Vangionum vrbe Vormatia, Sacerdotes primarios (qui Canonici appellantur) decem iam annis vrbe exulantes, sua & Treuerensis Antistitis intercessione loco pristino restituit. Bello verò, quod contra V. Ivirum Electorem Philippum Comitem Palatinum Rheni, pro Ruperto filio dimicantem, Maximilianus I. Cæsar, Albertum Boiariæ Ducem defendens, imperijque Ordines anno 1504. gesserunt, nec quod è sua publicæ rei dignitate esset, Fridericus prætermisit, & multo magis, quæ ad VII virum collegã suum Cæsari reconciliandũ facerent, studio & diligentia omni procurauit; ita ut, vnus è cunctis, Philippũ, in Comitio Coloniensi, ad Maximilianum adducere auderet, ac pro supplice factò eas preces fundere, quibus lenitus Imp. & Philippo pepercit, & illius è Ruperto filio (is interim è viuis abierat) nepotibus, regionis ob quam bellũ efferbuerat certam partem clementer attribuit. Inter solius autè pacis munia (ad quæ Fridericum liberalis doctrinæ & optimarũ artium atq; peritia pronũ fecerat: Philosophos etiã historicosq; diligenter eum lectitasse; & Musica delectatũ fuisse perhibet.) Inter illa igitur Friderici munia est; testamentum, ab eo ante abitũ in Syriam & Iudæam anno 1493. conditum, quo testamento, si quid sibi eo in itinere humanitus accidisset, ut disciplinarum elegantium studiosis cultoribus stipendia decernerentur, cauerat: est, Academia Vitebergensis fundatio anno 1502. ab eo, adiuvante Ernesto fratre, Antistite Magdeburgio (qui vndecimo post aũo viuos deseruit) perfecta: est; honorum, quo existimatio non læderetur, contemptus laudabilis; cum, viuento Maximiliano, Vicarius seu Gubernator (Locũ tenentem vulgò dicunt) Sacri Imperij honorificè declaratus, eo è viuis sublato, quod sibi summo omnium collegarum suorum VII virum consensu & voluntate offerretur, Imperatorium fastigium accipere nolens, Carolo Austrio Hispaniarum regi, Maximiliani I. nepoti, primus omnium atq; honestè excusando, insignem animi sui modestiam præclare ostenderet; & temporum eorum statũ, tam prudentia eximio quàm potenti Imperatore opus omnino habere accuratè demonstraret. Qua de re suscepta cogitatio non mirum est, quod à sapientissimo Principe hanc quandoq; vocem elicuerit, cum quærere se virtutè, sed quia eam non inueniat, accipere potentiam, diceret. Quò & prudentissimum eius factum pertinet; quando, cum Francofurti cum collegis Cæsarem nouum creaturis conuenisset, ipse, ut Imperij Romani Gubernator. & se, & collegas singulos sacramento adegit, alium Cæsarem nullum habituros, nisi qui consentientibus omnium votis atq; suffragijs designatus esset; quo modo libertas Germaniæ, priscusq; honor ac maiestas procul dubio seruata, animorum studiorumq; distractiones auersæ, Gallorum, & externarum aliarum gentium machinæ elisæ sunt. Fridericus solidas laudes suas solidioribus alijs sepeper cumulans, oblatam à Caroli legatis, quod ut eorum Princeps ad Augusti culmen ascenderet, ipso vno potissimum auctore factũ fuerat honorarij loco, amplam auri summam, respuit, suis omnibus, ne vel terentium acciperet, seuerè interminatus: integritate & inoeciã, ut sempiternum memorabili, sic, nostri seculi moribus, in quouis hominum gerere perquam rarã. Talè eum, meritissime Inpp. tres Fridericus III. Maximilianus I. Carolus V. maximi fecerunt, quorum triginta, quos indixerant, Imperij conuentibus interfuisse eum comperimus. Ad annum 1517. de religione ortis disceptationibus, Martini Lutheri, & qui cum eo sentiebant Theologorum, sententiam, amplexus, ut Lutherus Augustæ Vindelicorum à Cardinali Caietano; Coloniae Vbiorum, data fide publica, in Ordinum Imperij confessu, coràm audiretur, impetrauit. Sed in eo, quem semper seruauit, concordia pacisq; promouendæ tenore ad extremum vsq; halitum perseverans, cum aũi effluxissent, ab ipso nato 62. à suscepta populorum suorum gubernatione, 38. à Christo Deo Virgine edito 1525. III. Nonas Maij sub excitatos nuper à rusticana plebe tumultus) Lochauia, quæ nunc Aneburgum, rebus humanis, pio ac tranquillo exitu, valedixit, primusq; gentis suæ Vitebergæ in templo arcis ad altare summum conditus quiescit.

FRIDERICVS III. SAPIENS DES. REX ROMANOR.
 IV. DVX SAXONIAE, & C. ELECTOR.



*Saxo tibi FRIDERICE dedit SAPIENTIA nomen.
 Prima, fugans vitium, stultitiâq; carens.*

Vel precio morum, vel vitæ labe carentis,
 Te Duce nemo Ducum pluris emendus erat:
 Casareos anteire etenim, FRIDERICE, putabas
 Promeritis fasces pulchrius, ac gerere.
 Sed tuacur rector SAPIENTIA fecit, habendum
 Vt nec censes in precio precium?

IOHANNES CONSTANS V. DVX SAXONIÆ &c. ELECTOR.



Oelibus, quoad vixit, Friderici fratris sui, successor Iohannes fuit, virtutum eius æmulus, nec solidarum minus laudum tenax. Ad earum bellicas adspiravit, vnà cum Friderico fratre Maximiliano I. Cæsari militans, Austriæ vrbes à Marthiâ Pannonum rege occupatas, post eius regis fata, recuperanti: atque cum Albâ, quam regalem cognominant oppugnaretur, inter primos mœnia conscendens, muralem coronam promeruit. In Italia verò transpadana fortem æquè fidelemque militando operam eidem Imperatori impigrè nauauit. Carolo V. Imperante, periculossimam agrestium seditionem, per eas etiam regiones excitatam & grassantem, ac in maximum, ni mature obuiam itum fuisset, incendium erupturam, in ipso statim regendi populos suos exordio strenuè extinxit, ipseque, ac socij Principes & Proceres victos vno prælio ac dissipatos rusticos, captis passim & extremo supplicio affectis compluribus, ad veterem obedientiam redire coegerunt, oppidorum quoque ciuibus conspirationi huic affinibus arma ademere. Alioqui mutuus inter ipsum & fratrem eius Fridericum amor perpetuus, tamque arctus fuit, vt non modò nunquam dissilierit, sed crescentibus vtriusque fratris annis; crescentibus, vario temporum successu, curis, laboribus, & periculis lōgè etiam auctior factus sit. Ac Ioannes eandem cum fratre religionis doctrinam, eisdem ab theologis traditâ probans, eius doctrinæ Confessionem scripto comprehensam, Carolo V. Cæsari, & Imperij Ordinibus, ipse & eiusdem Confessionis approbatores Principes ac ciuitates, in Comitijs Augustanis aña 1530. VII. Calend. Iulij publicè exhibuerūt. Cum de in controuersiam vōcatis capitibus conueniri non posset (nam, cum reliquis idem sentientibus vnà, Iohannes, quæ proposuerat adeò constanter tuebatur, vt Constantis inde cognomen reportauerit) paulò post impendens à Turcarum rege Solimanno Germaniæ, Pañoniæque, & toti adeò Christiano orbi nouum discrimen adtuendæ à maioribus acceptæ libertatis curam omnium animos conuertit. Is enim Rex, post Taurunum expugnatum, Rhodum captam, Ludouicum Hungariæ regem cum triginta Christianorum millibus trucidatum, Pañoniam occupatam, & cum omni præsidio nudam reliquisset, altero reditu, Iohanni Transsiluania præfecto, qui Hungarorū regem se ferebat, ceu beneficij loco traditâ, post obsessam denique, frustra equidè, sed nō sine enormi Austriæ clade, Viennâ; anno 1532. cum innumerable exercitu in Pañonias effusus, Austriam (superior ea olim Pañonia) cōtinuò petijt. Omnes Viennam (seu Iuliobona ea priscis, seu Vindomana fuit) expugnatum iri eum credebant, omnes Germanos in seruitutem redactum aduenire. Carolus itaque Cæsar Germanis omnibus pacem indicit, inter dissidentes concordia, ad synodum vsque sedandis contētionibus ecclesiasticis indicendam, promulgat, omnes, arma, opes, operas suas in communem omnium, potentissimum hostem expedire iubet. Obedienter cuncti fecere imperata; cum coniunctis etiam sibi Principibus, Ioannes Elector officio suo non defuit, oblitterata offensa, quod Ferdinandum Austriæ Principem Caroli V. Aug. fratrem, Hungariæ & Bohemorum regē anno superiore proximo nō ritè Cæsarem designatum esse, fratrisque successorem, missò Coloniam, vbi Ferdinandum designaturi, quorum id iuris est, conuenerant, Ioanne Friderico filio, contenderat. In maximo verò eo nostrorum apparatū, Turcis partem exitioso, partem, adeo formidabili, vt ipsemet ille, sua opinione inuictus eorum rex, prætenui oppidulo, in Pañoniæ finibus, cui oppidulo Guintio nomen erat, irritis innumerablem copiarum conatibus omnibus, oppugnato, turpi fuga Germaniæ fines desereret: Ioannes Elector, eodem quo hæc acta sunt, nati Seruatoris anno, suæ verò ætatis 63. Cæs. creand. officij 7. Idibus Augusti, Sueinicij, in VIIviri ditione, placidissimo fine, Deo spiritum reddens; Vitebergæ propè fratrem suum ac decessorem Fridericum in eiusdem templi adyto cubat. Habuit è prædefūctis vxoribus; priore Sophia Magni Magelburgij Ducis filia aña 1503. in puerperio extincta, & Torgæ sepulta, filium ex eodem puerperio natū & successorē suum Ioannem Fridericum: è posteriori vxore Margarita Anhaltina Valdemaro Principe genita, & post obitum Vitebergæ quiescente. Præter Margaritam, vnde uicennem virginem mortuam, Mariam Philippi Poderaniæ Ducis coniugem, filias, Iohannemque nō longeuum filium; Ioannem quoque Ernestum, me quo suo loco aliquid afferemus.

IOANNES CONSTANS. V. DVX SA-
XONIAE ELECTOR.



*Dux hic IOHANNES Augustos Saxo creabat,
Constanti magnus pectore dignus avis.*

FRater erat Sapiens, genitor tibi Relligiosus,
Mitis anus, proauum Bellicus auxit honos;
Strenuus est abauus, Grauis est atausq; vocatus,
Est tritauus Fortis: sunt tibi cuncta simul;
Es quod, IOHANNES, Constans agnomine. Veri
Nempe tenax, recti possidet omne decus.

F

IOHANNES FRIDERICVS I. MA- NANIGMVS, VI. DVX SAXONIÆ ELECTOR.



Agnanimitas, & in rebus aduersis singularis tolerantia, Principem hunc, non minus, ac maiores illius alios aliæ dotes, comendandum efficiunt & memorabilem. Postquam Vdalricus Virtebergensium Dux, armis Philippi Chattorum Principis, in patrium Ducatum est restitutus, rebus ad maiorem motum spectantibus, sed Cadenicâ in Bohemis conuentione compositis, Iohannes Fridericus inter alia quæ conuenerant, (qua de re secus pater eius senserat) Ferdinandum Caroli V. Aug. fratrem pro designato Cæsare agniturum se ac veneraturum esse, Viennæ postea est professus. In ijs quæ se offerebant ad communem Rom. Imperij statum spectantia (cuiusmodi ferè sunt; Monasteriensis à Catabaptistis, quos appellant, occupatæ, in Vestphalia, vrbs obsidio; in Hungariam contra Turcas. Ioachimo Brandeburgensi Marchione summo copiarum Duce, omnium Imp. Ordinum decreto, subsidijs, & opibus suscepta expeditio; auxilia in Gallum Regem, & Cluensem Ducem, anno proximo post Hungaricum, quod attigimus, bellum, Carolo Cæsari, consensu eorundem Ordinum præstita) in ijs, inquam omnibus, quæ pro suâ parte debebat, sedulo præstitit. Cùm de Vurcinâ Præfulis Misnensis oppido inter ipsum & agnatum eius Mauricium controuertetur, Philippus Princeps Chattus eos placauit. Henricum Ducem Brunsvigium, qui se iuniorem tum nominabat, fœderatis auxiliantibus, Elector primùm Brunsvigiâ ditione suâ expulit, inde, recuperare eam satagentem, eisdem fœderatis opem ferentibus, ad deditionem adegit. Cum Carolo V. Imperatore, ipse (& qui cum ipso, ac inter se fœdus fecerant, Germaniæ Principes ac ciuitates) beligerari anno 1546. cum cœpisset, totâ eius anni æstate, vnâ cum Philippo Chatto, in Bauaris & Sueuis castra contra Imperatorem circumtulit, cum quidem casus aliquis grauior toto eo temporis spatio neutri partium accideret. Hieme vrgente, & alijs difficultatibus exortis, vbi suis cum copijs VIIvir noster domum reuertisset, ipso brumæ tempore in Mauriciû agnatû, qui Cæsaris partes sequebatur, imparatû arma conuertens; quidquid is oppidorum & terrarum in Saxoniâ, Misniâ, Turingiâ obtinebat, suam in potestatem redegit; Zuicâ, Dresdâ, Pirnâ vrbibus duntaxat exceptis, & Lipsiâ, quam tamen tormentis ita concussit, vt nullius vnquam atrocioris antea huiusmodi concussionis meminisse se homines ea tempestate viui testarentur. Re igitur infectâ isthinc abiens, intellecto, Albertum Marchionem Brandeburgium, qui æquè Cæsari militabat, & Christophorum, eiusdem cum Chatto tituli, Dynastam in Boiorum finibus Leuchtenbergium, Rochlicij apud Orientales Mysos cum militum aliquot cohortibus, animo ipsum intercludendi, se continere, securè interim agere, voluptatibus & ludis, quasi nihil aliud negotij esset, indulgere; vtrosque improviso accursu oppressos, vix tentatâ ab ipsis defensione, cepit. Ineunte vere anni 1547 Cæsar, eius frater Ferdinandus, & qui cum ipsis faciebant Principes, inopinato aduentu Electorem è Misnâ oppido Vitebergam contendentem adorti, ex itinere prælium committere cœgerunt, quo in prælio ille, disiectis copijs, fortiter repugnans, captusque haud longè Mülbergâ oppido, Cæsari eiusque fratri oblatus est: dum interea, è Præfectis eius, Domusernus auditâ Domini sui clade, è montanis, quas ceperat, Misniæ vrbibus in Saxoniam, pergeret Bremaque vrbe liberatâ, quanquam impedimentis amissis, Ducem tamen Brunsvicensem Ericum, propè Visurgim fluuium profligaret. Captiuus Iohannes Fridericus & captiuitatem magno tulit animo; nec minori, quòd VIIviri dignitate ac magnâ simul ditionum suarum parte exueretur. At, quæ, inter alias, conditio ei proponebatur, vt quod amplexus erat Religionis dogma repudiaret, adduci non potuit, exemplo scilicet eorum, qui in ijs, quæ de rebus diuinis statuimus, caduca æternis præponenda esse minimè censent. Quinquennium totum, hoc in statu, aulam Cæsaris sequutus, Mauricij agnati armis, & Passauiensi pacem vniuersum per Imperium, ijs qui exhibitam Augustæ anno 1530. doctrinæ confessionem tutarentur, promulgatam, paullò post allaturâ actione, in libertatem restitutus est, & à Cæsare benignè dimissus, domum se retulit, atque qui sibi supererant agris ac possessionibus pacatè in posterum præfuit. Mauricio in Siuershusânâ, contra Albertum Brandeburgensem, acie interfecto, cum Augusto Mauricij fratre & successore, conuentu Naumburgi habito, quiquid residuum videbatur, de quo controuerti posset, de eo diligenter & sollicitè transegit: ac postea V. Nonas Martij anno virginæ partus 1554. tranquillè mortali in terris vitæ valedixit; cùm, vxore vndecim ante ipsum diebus mortuâ, breui idem sibi euenturum quasi præfagiens, loculum ad latus eius relinqui sibi sanctè mandauisset. Vinariæ in Tyrigetis sepeliuntur. Annum ipse attigerat 51. Sibylla vxor (Iohannis Iuliacensis Ducis filia, Guilielmi Ferdinandi Cæsaris generi soror) in matrimonio eius vixerat annis 28. Ex eo matrimonio liberos habuere: Iohannem Fridericum II. & eiusdem nominis tertium; & tertio hoc natu grandiozem Iohannem Guilelmum; qui parentibus superuixere; ac Iohannem Ernestum, qui puer ante vtrumque parentem viuus exemptus est.

IOHANNES FRIDERICVS I. MAGNANIMVS, VI.
 DVX SAXONIAE ELECTOR.



*Quo, populis Caesar poterat dare iura, legente.
 Dux facie hac Saxo IANFRIDERICVS erat.*

Saxonici Ducis hac quicumq; tueberis ora,
 Quo dicente nouus Caesar habendus erat;
 Dum casus omneis Ducis, atq; pericula volues
 Hac verè, supra cetera, verba dabis:
 Rebus in aduersis te nec moderatior alter,
 Fortior aut alius IANFRIDERICE, fuit.

MAVRICIVS MAGNVS, VII. DVX SAXONIAE &c. ELECTOR.

ANimi rerumque gestarum magnitudine, æmulum Alberti aui, se haud dubiè ferens Mauricius, qua ad virtutem grassaretur viâ, proximo statim ab Henrici Patris morte anno, Christiani calculi 1542. ipse nec dum annos egressus viginti & vnum, certo quidem & apud exteros etiam scriptores celebrato atque pernobili, sed exitiali propè sibi ostendit argumento: cum voluntarius, suomet stipendio, miles, cum Rom. Imperij copijs, Pestum & Budam, Ioachimi II. Marchionis Brandeburgij ductu, irrito sanè conatu, recuperaturis, in Pannonias venisset. Alacriter enim aliquando, experiundi qui vir hostis esset causâ, castris, vno tantum comitante satellite, exiens, cum occurrente Turcarum globo animosè manus conferuit, eo euentu, vt ab hostibus equo deiectus, nec iam proximus esset, nisi fidissimus eius minister ille iacenti ipsi corpore toto super incubuisset, & Turcas vulnera ingerentes tantisper fuisset demoratus, dum forte fortuna superueniens nostrorum equitum ala adolescentem Principem præsentissimæ morti eriperet, quanquam fidissimus ille, & æternâ memoriâ dignissimus comes Principis, illius vitam, suomet, in vestigio, interitu redemerit. Ante abitum in Pannonias, ab agnato Iohanne Friderico, Duce Saxonum VIIviro dissentire Mauricius ceperat, ob Vurcinam Misnensis Episcopi oppidum, sed re vt videbatur, maiorem in motum euasura, soceri sui Hessorum Principis, vt moderatius vterque ageret, suadentis, auctoritati Mauritius cessit. Inde, binis hoc negotium sequentibus annis, & in Veromanduis belligeranti contra Gallos Carolo quinto Cæsari præstò fuit; & eidem Cæsari, ipse & Augustus frater, in signi adducto equitatu; cum auxilium ferrent, hostes, victoriâ non ignobili, ad D. Victorinum, profligarunt. Reuersus domum, Henricum Ducem Brunsvicensem, qui in focerum Mauricij Chattum, & agnatum, Saxonem arma mouerat, repressit, atq; cohibuit. Carolo deinde Imperatori Mauricius se coniunxit, cum Saxonum & Chattorum, confœderatisq; alijs Principibus, populis, & vrbibus Germaniæ bellum gerenti: non ambiguè hac etiam ratione adductus, quòd victo Electore agnato, quibus is ditionibus exueretur, ne ipsius Mauricius quoq; & ipsius lineæ posterij prorsus exciderent, periculum esse vereri poterat; rebus iaterim eò delapsis, vt Cæsare alibi in confœderatos signa circumferenti, ipse domi rem gereret, & demum, etiamsi Saxo VIIvir caperetur, præmium tamen nauatæ eâ expeditione operæ, & superati VIIviri, in eadem omnino familiâ nihilominus permaneret, Mauricio à Cæsare in capti locum, VIIvirumque ordinem, & ditionem VIIviris Saxonibus subiectam, euecto; cum statim à Mülbergianâ Cæsaris victoria, pridie nonas Iunij anni 1547. ipsis in Cæsarianis castris; tum, anno sequentè proximo, in frequentissimis totius Germaniæ comitijs Augustanis, soleñi adparatu ceremoniaque omni adhibitâ. Sequuta Magdeburgi munitissimæ Saxonum orbis obsidio, cui Mauricius à Cæsare & Ordinibus Imperij summâ cum potestate præpositus, vrbem ad XV. menses obsessam ad ditionem adegit. Mox Hessi soceri liberandi ergò, suis aliorumque intercessionibus & precibus diu frustra adhibitis, arma capiens, postquam effecisset, vt captiuos Principes, Saxonem & Chattum Cæsar dimitteret, & Passauiensi conuentione reformatam ex Augustanæ, quam vocant, Confessionis formulâ religionem profitentibus pacem daret, rogatu Ferdinandi Cæs. designati, eodem quo fratrem eius Imperatorem oppugnarat, anno, in Hungariam abiens, Insula Danubij, munitâ, & alijs, quæ è re erant, institutis, potentissimi quoque Turcarum Monarchæ militem intra limites & præsidia sua continuit: celeritate suâ Alexandro illi magno (quod magni cognomentum, huic etiam nostro appositè à multis adiectum nemini non liquet) perquam similis, & vno eodemque anno, Europæ, Asiæque regibus omnium ceterorum maximis terrori esse visus: tametsi nec audaciâ quoq; & perseuerantiâ Macedoni magno illi disparem fuisse, pericula, in Pannonijs, in Gallijs; hinc non formidata, illic adita; Saxonicarum deniq; & Magdeburgensium rerum vniuersa illa tractatio, ostenderint. Atqui ægerrimè ferens, pacem suis potissimum operis Germaniæ partam contumaci solius Alberti Brandeburgij, confœderati antea sibi, peruicacia turbari, diu multumq; ad amplectendam pacem eum frustra cohortatus, finitimorum defensionem suscepit, & cum Alberto in diœcesi Hildeshemia ad Siuershusam pagum peracri pugna congressus victoriâ quidem, profligato hoste, insignem obtinuit; sed eodem in prælio, iam planè victor, pila in dextro latere ad ilia traiectus, triduo post, V. scilicet idus Iulij, año nati Domini & Seruatoris nostri 1553 suis in castris vitam cum morte commutauit; annos natus 32. menses prætereà 3. dies 21. sexennio vno, quas paterna hæreditate adierat, altero, quas Germanico bello insuper adeptus erat, prouincijs & honoribus potitus. Neq; verò gloria bellica ad obeunda pacis munia segnem eum fecerat atq; inhabilem. Nam Vitebergensem in VIIviratu recens parto academiam conseruauit atque instaurauit, Lipsensem auxit & fouit: nec dum VIIvir, ludos illustres litterarios tres, Misnæ ad Albim, Grimæ ad Muldam, Portæ ad Salam, reditibus in singulas liberaliter adsignatis, constituit. Florenti æuo, modo què descripsimus, occumbens, ex Agnete Chatta Philippo genita, filiam tantum reliquit vnicam (nam Albertus filius 4. mensium infans quinqueñio ante patrem obierat) vnâ cum matre superstitem, Annam, Guilielmi Com. Nassou. Vranie Principis vxorem Mauricij ipsius intestina, in proximo conflictui (quo de conflictu egimus) pago Siuershusa; corpus Freibergæ Myforum, prope Henricum patrem, marmoreo tumulo terræ traditum est.

MAVRICIVS MAGNVS VII. DVX SAXONIAE,
ELECTOR.



*MAVRICII fuit hæ Augustos forma creantis
Saxonis : ast idem pectore perpès erit.*

Æ Ternat reges, nimium si immensa cupido,
Quis magis Æmathio rege perennis erit?
Si moderata magis faciunt durare, superstes
Audiet, Æmathio præ Duce, MAVRICIVS:
Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis;
Mauricio Patria sufficit una salus.

G

AVGVSTVS I. PIVS VIII. SAXO. NIA DVX &c. ELECTOR.

Ratris masculum hæredem non habentis, vt in reliquam hæreditatem, ita in ve-
 stigia quoque virtutum successit Augustus: quem sanè, ad vtrumque, vt ita dica-
 mus, paratum semper fuisse in aperto est; pacis tamen & publicæ tranquillitatis
 conseruandæ omnium Principum longè studiosissimum. Itaque qui cum Mauri-
 cio fratre Gallicis expeditionibus interfuerat, vnâque cum eo Gallos ad D. Victo-
 rium egregiè vicerat; qui vnâ cum eodem fratre, Carolo V. Cæsari, Germanico in
 confœderatos bello adhæserat; & postea quoq; fraterna castra caussamq; sequutus, fortis atque in-
 victi animi laudibus sedulò inhauserat; qui Guilelmum Grumbachum, Ernestum Mandesloum, ali-
 osq; reipublicæ turbatores, summo cum imperio à Cæsare & Ordinibus omnibus ei negotio præfe-
 ctus, obsessa Gotha, & expugnata arce Grimensteina, in Thuringis, ad annum 1567. exercitu contra-
 cto extinxerat & coërcuerat: is quamdiu in pace viuere poterat, arma non modò non induit, verùm
 etiam omnes dissidiorum plurium occasiones, omnia quasi fomenta, quam honestissimis poterat
 modis, præcidit, restinxit, sustulit; partæ quietis gloriam neque fratri inuidens, & ipse seruata palmã
 non sequius affectans. Adolescens in aula regia Pragæ vixerat. Ducta postea ad annum 1548. vxore
 Anna Christiani III. Daniæ regis filia, nuptijsque Torgæ celebratis: quo tempore frater victor
 Siuershusana in pugna occubuit, cum apud socerum degeret Augustus, de casu fratris certior factus,
 ex Dania reditum, vnâ cum coniuge, maturauit, suisque expectatissimus cum aduenisset, possessio-
 nem, pro more, adiit, atque eam cum ceteris iuribus & beneficijs, quibus frater gauisus erat omni-
 bus, sibi posterisque suis auctoritate Caroli Aug. eodem adhuc anno confirmandam curauit. Cum
 agnato suo deinde Iohanne Friderico patre, Numburgi coniuuit, cumque eo arduis de rebus multis
 transegit; proximo ab eiusdem morte anno, cum filijs eodem in loco congressus, & nuper inita cum
 parente eorum pacta renouauit; & mutua successionis hæreditariæ (ab Henrico quondam illustri,
 primo è Mysis Turingiæ Principe, acceptæ) beneuolentiæque & defensionis iura, cum ipsis pri-
 mum, vt gentilibus & agnatis, deinceps cum Brandenburgensi & Hassica Pp familijs de integro san-
 xit, & iniuriarum offensionumque omnium obliuionem perpetuam suasit omnibus ac persuasit.
 Ad comitia Augustana anni 1555. quibus, conuentione Passauiensi, concessa ad Augustanæ Con-
 fessionis argumentum de religione sentientibus pax, confirmata, atque de nouo rata esse iussa est;
 cum eis comitijs, per occupationes interesse ipse non posset, legatos misit, qui ipsius nomine & lo-
 co otij salutisque communis rationem diligenter habuere. Conuentui autem Francofurtum ad
 Mœnum indicto, quibus in Comitijs Carolus imperio cedere se denunciauit, ipse coram interfuit,
 & cum collegis vnâ Ferdinandum Imperatorem salutauit: triennio post, Maximiliano Cæsari, ad
 patris Imperatoris petitionem, designando, eadem in vrbe, idem, præsens, officium præstitit; atque
 ab eodem Maximiliano iam Cæsare eius nominis II. anno 1566. in Comitijs Imperatorijs etiam Au-
 gustanis, solenni ritu, omnia quæ ab Imperatorum collatione dependent regendarum à se gentium
 beneficia (eaque & ipse præsens) suscepit, Ratisponam etiam ad collegas se ipse contulit, cum ist-
 huc illi ad Rudolphum Maximil. II. filium, Imp. designandum anno 1575. conuenissent. Sequenti
 anno, conueniente extremum cum Ordinib. ceteris Maximiliano Ratisponæ, eodem Elector suos le-
 gavit cum mandatis ad ea quæ tum mouebantur, optimi & omnium quietis retinendæ numerorum
 callentissimi Principis ingenio aptissimis. Cetera; domestica præsertim, quæ dissidentium de diuer-
 sis theologiæ capitibus conciliationes spectauere, plena prudentiæ & vigilantia, Principis huius acta
 atque consilia, in Academias, scholas, & bene meritos liberalitatem eius ac beneficentiam, virtutes-
 que alias, Principe bono, vt bono patre, dignissimas, breuitatis studio præterimus: neque addimus;
 eum etiam pro perœtua & constanti erga Imperatores obseruantia, dono 1582. primis Rudolphi
 II. Aug. comitijs Vindelicorum Augustam indictis, adducta Anna coniuge & liberis, interfuisse,
 conseruandæ inter omnes mutuò Ordines amicissimæ voluntatis, & cauendarum distractionum,
 vt cupidissimum, ita propositi huius vsque ad vitæ finem tenacissimum: vt qui Coloniensi etiam
 caussa, ad annum 1583. non nisi pacatè & legationibus intercesserit. Illud modò superioribus adiun-
 gimus; annum circiter 1584. Hennebergium Franciæ orientalis nostræ Principem comitatum, Ge-
 orgio Ernesto Pp. eorum Comitum vltimo sine sobole defuncto, Duci huic nostro, eiusq; gentilibus
 & Chattorum Pp. ex veteri inter Saxon. Henneberg. Chattam domus pactorum formula, accessisse.
 Anna demum vxore, calendis Octobris anno 1585. amissa, cum sexagenarius Augustus iam Agne-
 ten Hedugin Ioachimi Ernesti Principis Anhaltini, ex Eleonora Vирtenbergensi, filiam iuuenulam
 sibi despondisset, celebratisque magno cum splendore nuptijs, mense Januario anni 1586. domum
 eam magnificè deduxisset: eiusdem anni III. Idus Februarij, cum à sacris redijisset, atque languorem
 sentiens quieti se dedisset, vesperi, horam inter sextam & septimam, tranquillè placideque animam
 exhalans, mortalem vitam cum immortalis commutauit, Freiberga ei tumulum, vt patri antea, &
 Mauricio fratri, præbente. E quindecim illius ex priori coniugio liberis, ipso moriente, præter Eli-
 sabetham Iohanni Casimiro Friderici III. Com. Pal. ad Rhenum VII. viri filio, Ratisponatam, Doro-
 thæa etiam, & Anna; hæc Iohanni Casimiro, Iohannis Friderici II. filio, Saxonum, illa Henrico Iulio
 Iulij filio Brunsvicensium Ducibus elocata, vnicusque Christianus filius, superfuere, reliqua omni
 prole in infantia, aut puerili ætate, extincta. Prior Augusti coniux Freibergæ sepulta quiescit;
 posterior, biennio ab obitu laudatissimi mariti, Holsatiæ Duci Iohanni denupsit.

AVGVSTVS VIII. SAXONIAE DVX
ELECTOR.



*Cæsaris Augusti, Dux, hoc AVGVSTE, creator,
Ore: pio, Saxo, pectore maior eras.*

Avgusto augurio Dux iura, AVGVSTE, dedisti
Mysis, Turingis, Saxonibusq; tuis;
Sic toto numeros implesti Principis ævo,
Annis, in patriam promeritisq; senex:
Ut te Cæsaribus, quos dixi, charior alter,
Communi utilior non fuerit ðe rei.

CHRISTIANVS I. IX. DVX SAXO- NIÆ ELECTOR.



Nicus hic, è filijs, hæres Augusti patris, ea, ab ineunte ætate viuidæ magnæque indolis argumenta edidit; ea confirmatoribus annis viuo adhuc parente; eum deniq; animû, cum patri successisset, plurimis in rebus ostendit, vt inter laudatissimos Principes locum habiturus fuerit, nisi maturius iusto eum patriæ fata eripuissent. Siquidem parentis voluntate, & liberalibus studijs litterisque, in pueritia, & peregrinis alijs linguis, excultus fideliter atque institutus (vnde eum postea, vbi populis ipse præfuit, ingens in doctos amor, & accito vndecunque peritissimo quoque, tribunalia, fora, & quæ huiusmodi alia publicum ad statum dextrè regendum idonea habentur, ritè constituendi desiderium; vnde moriturum commendabilis de educandis & erudiendis optimè liberis, diligenti coniuncta ad educatores commendationi, sollicitudo & cura incessit) adolescens insuper, armorum, & equestribus, alijsque exercitationibus, quibus Principum, illustriisque cetera iuuentus imbui solet, ita animum adhibuit: vt alacritate, dexteritate, & alijs, in hoc genere, virtutibus, natu etiam se grandiores & diutius tali in operè versatos, longo interuallo post se relinqueret. Vnum & viginti annos natum pater ad tractandas rerum habenas admouere cepit, ita vt iubente patre, in locum eius, anno 1581. à Burcardo Comite Barbiensi, VII virali tum Vicario, summi VIIviralis, iure dicundo Senatus Præses renunciaretur. Vxorem sequenti año duxit Sophiam, Brandeburgensis VIIviri Marchionis Iohannis Georgij filiam, quâ cum vbi mense aprili, a. 1582. magnifico apparatu, Dresdæ nuptias, palmam non semel equestribus in ludis summa cum laude adeptus, celebrasset, ad comitiâ Augustana, eodem quem scripsimus anno, vnâ cum illustrissimis parentibus & charissima coniuge profectus est. Quadriennio post, summa reipublicæ ad ipsum translata, & ijs quæ bellum requirit, & quorum candida pax mater esse solet, operibus intentus; seque, aulam, & urbem Dresdam, equitibus, è nobilitate, stipulatoribus, corporisque alijs & urbis custodibus ac vigilibus muniuit; alios alibi militares præfectos & centuriones, liberalibus stipendijs, præsidio patriæ, si res posceret, futuros, conduxit ac fouit: Mauricii patris (qui ædificandi studiosus arces aliquot nouas extruxit veteres quasdam renouauit, inter easque, vnâ cum ipsis urbibus, Lipsensem, & omnium ornatissimam Dresdensem) exemplo, Dresdam aggeribus altius eductis, pluribusque adiectis turribus, fossis denique profundioribus factis, munitiorem reddidit: eandem urbem splendidis aliquot ædificijs exornauit; inter quæ ædificia, in ipso arcis aditu, stipulatoribus exstructa domus est, superbissimis columnis, & virtutum aliquibus dignis spectaculo simulachris, visenda: alia item domus, aspectabile sanè comæatuum cuiuscunque generis receptaculum: hippodromus etiam, cum peramplâ adiectâ area, exercendis militariter equis & hominibus seruiens, altissimis è lapide columnis, aquam diuersis locis suauiter exilientem emittentibus; tanto ordine, tanta pulchritudine & artificio insignibus equorum, leonum, gigantum, & similibus statuis, apparatu, ad summam, omni, non ad necessitatem tantum verum ad voluptatem etiam & magnificentiam, vsque adeo nobilis, vt nullus vllius Christianorum in Europa Monarcharum, regum, Principum substructionibus secundus haberi debeat. Alia, ad facram iuxta ac prophanam administrationem facientia, neque à mala mente profecta, Principis huius instituta vt intermittamus; Martius ipsius animi vigor tum sese exerere voluisse visus est, cum ipse, & socij aliquot Duces ac Procères, Gallia & Nauarræ regi Henrico IV. opem latum, numerosas admodum Germanorum copias, Christiano Principe Anhaltino ad earum copiarum imperium euecto, in Gallias mitterent. Sed pro fluxa ille rerum nostrarum conditione, Germanis vix dum Gallia fines attingentibus, VII vir hic noster, contracto, nec dudum, morbo sustinendo impar, parato ad subeundam mortem animo, Christiani II. Iohannis Georgij, Augusti, II. filiorum, Sophiæ, & Dorotheæ, filiarum tutoribus constitutis, Friderico Guilelmo, Duce Saxonie, agnato; & Iohanne Georgio, Marchione VIIviro Brandenburgensi, socero; caduci exuias corporis deposuit, VII. Calend. Octobris, eodem año (qui erat, à Christo nato, post mille quingentos nonagesimus primus) quo miles, vt dixi, Germanus Gallos adiutum iuerat, nuncio de Christiani obitu accepto vehementer percussus, quanquam Gallo rege, quantum poterat, impacatos & tumultuantes sedante, & in officio vix ægrè continente: necdum Elector ipse, de quo loquimur, cum obiret, ultra 30. ætatis annos, 10. præterea menses, diesque 27. gestæ verò à se solo publicæ rei plus paullò quam quinquennium numerabat. Defunctum maritum dilectissimum, Sophia Brandenburgensis, vidua ab eo relicta moestissima; charissimum parentem, liberi tristissimi, desideratissimum dominum, qui imperio eius continebantur populi luctu ac dolore summo perciti, insigni cum pompa funebri, Freibergum (metallis, ab antiquo, ac hodieque celebre oppidum) ad maiores relatum, propè eosdem, primarij in templi summo sacrario amplissimoque ad ditò elogio, condiderunt.

CHRISTIANVS I. IX. DVX SAXONIAE etc.
ELECTOR.



*Cui maternus auus dat rex sua nomina Danus,
Conditor hoc Saxo Caesaris ore fuit.*

*Pro patris, en, Dani regis qui nomen habebas
Materni, vultus SAXONIS iste fuit;
Saxonis, ELECTOR qui CAESARIS audij, omni
Par haud ambiguè laude futurus auis:
Ni praeuenissent currentem fata. Quid? immò,
Par erat: ergo pari laude superstes erit.*

E

FRIDERICVS GVILELMVS DVX SAXONIAE PROELECTOR.



Impuberum itaque Christiani I. filiorum, Christiani II. Iohannis Georgij, & Augusti II. tutelam decennio iam gerit, (contutore Iohanne Georgio Principe Branburgenfi VIIviro interim VI. Idus Ianuar. Iulian. anno 1598. iusta functo) Fridericus Guilelmus, adolescentum, quos diximus, Ducum quinto gradu agnatus, Iohannis Guilelmi (de quo seorsum postea adducemus aliquid) filius. Is liberalibus, aulicis, omnibusque adeo viro Principi scitu necessarijs disciplinis & moribus apprimè eruditus atque instructus, 21. natus aënos, Sophiam, illustris memoriæ Ducum Virtenbergensium, Christophori filiam, Ludouici sororem, ad annum 1583. uxorem duxit: ea septennio postmissa, ne liberis quidem, quos ex ea tulerat, masculos duos, puellas tres, uiuacibus, secundum cum Anna Maria Philippi Ludouici Comitis Palatini Rheni, Ducis Boiorum, Comitis Veldentia & Sponhemij filia contraxit matrimonium, quæ ipsi VII. calend. Ianuar. more Iuliano anno 1597. 25. Ianuar. Iohannem Philippum peperit. Paterna bona Fridericus hic Guilelmus, mortuo patre, annis 18. tenuerat, cum, ut exposuimus, VIIviralis tutela, & ditionis illius, tutorio nomine, administratio ad ipsum delata est. Quæ suscepta, primum omnium, quinto ferè, ex quo nouum munus gerere ceperat, mensè, Ordines Prouinciatarum pupillis suis parentum, suo, & contutoris Brandenburgij titulo, Forgam conuocauit. Ibi, presentibus etiam legatis Brandenburgicis, præter decreta, partem, quæ ad religionem pertinebant, partem, uarijs de rebus alijs promulgata, Nobilitas quoque, ut ad quoscunque motus, facile undecunque ingruentes, parata in armis, pro patria ad condictum, excubaret, admonita; tributorum & vectigalium nouissimè impositorum, graues ob causas, non promissa quidem remissio, de oneribus tamen nouis neutiquam imponendis, Prouincialibus facta pollicitatio; de tota item iuris & legum administratione, cum pro tribunalibus, tum in aula, ita instauranda cautum, ut quàm minimus in posterum querelis locus esset. Adacti exinde in fidem tutorum & pupillorum Vittebergenses, ciuitatiq; & academiæ in patrocinium receptis quies (quæ hætenus labefactari uisa fuerat) statusque pristinus restitutus: adacti eandem in fidem Lipsenses & cæteri, quidquid populorum pueris Principibus subijciebatur. His & horum similibus, quæ è communi re uidebantur, actis & sancitis; sequuta eodem & sequentibus annis decretorum exequutio, ac cum usus exigeret, conuentus coitionesq; aliæ. Ac postquæ Proelector magnificas à Iohanne fratre cum Dorothea Maria Ioachimi Ernesti p. m. Principis Anhaltini filia, 6. calend. Ianuar. anni 1593. Altenburgi Mysorum celebratas nuptias, præsentia sua cohonestauisset; aëno sequenti, comitia quoq; quibus Ratisponam indictis, Rudolphus ipse Aug. intererat, coram inuisit, & Turcicum ad bellum, atque cætera quæ proponebantur, quæ sitis, quæ tutorio nomine debebat ac poterat, egit & præstitit. Ac publicis sacri Imperij negotijs, sua ex parte, nullibi cum deesset: priuatim etiam, suorum pupillorum, suæ, ac proximorum & gentilium dignitati ac comodis honestissimè inuigilans, Voilandiam, bello Germanico, Iohanni Friderico aëo suo tum VIIviro à Bohemis ereptam, ipse unà cum contutore Brandenburgio, à Rudolpho II. Imp. ceu Bohemiæ rege sub Bohemici regni cuius in clientela ea iam olim regio est) fiducia, pro pueris principibus suscepit, missis ad eam rem anno 1597. internuncio Iohanne fratre suo & adiunctis ei aliquot Saxonum VIIviratus consiliarijs, ac iureiurando per eos, alijsq; quæ assolent, ritè præstitis. Idem porrò tractus ipsi quoque Proelectori, eiusq; fratri & hæredibus eorum masculis, Oratoribus fratrum propterea Pragam missis, simultanea, quam uocant, Inuestitura, ab eodem Cæsare Bohemiæ Rege, omnium regni Ordinum consensu, anno 1598 est collatus. Atque hic cursum sistimus; neque describendis heroibus pares nos esse, & quid rhapsodum, præsertim in artificum aut turbæ gratiam tumultuaria congerentem deceat, fortasse non ignari.

FRIDERICVS GVILELMVS DVX SAXO-
 NIA, & C. PROELECTOR.



*Augustos tutor dictuivi Saxonis, hoc os
 FRIDERICVS Saxo Dux GVILIELMVS habet.*

Maximus, & magnus, patrui quod nomina ponunt,
 Saxo GVILELME, tui, Dux FRIDERICE, tibi;
 Haud fieri sine mente reor sine numine Diuum;
 Ut, tibi quod quadrent nomina tanta magis:
 ILLVM, Iustitiag, animog, ad utrumq, parato;
 Pectoris, HVNC, aques, ingenijq, bonis.

CHRISTIANVS II. BENEFICVS, X. DVX SAXONIAE ELECTOR.



Nno Christi MDLXXXIII. Nascitur CHRISTIANVS II. Saxoniae Dux &c. in Vrbe Dresda: Patre CHRISTIANO I. Saxoniae Duce & Electore magnanimo: Matre SOPHIA, Heroina inclyta, Serenissimi Principis, Iohannis Georgij Marchionis Brandenburgensis, Septemviri & Electoris, Filia, IX. calendas Octobris, hora quarta matutina. Illius Anadochi seu sponsores in baptismo, praeter ceteros fuere Augustus Elector auus, & huius Serenissima Coniunx, Anna, nati Principis auia.

Anno 1591. CHRISTIANVS I. Saxoniae Dux & Elector, morte praematura extinguitur, anno aetatis 31. gubernationis 6. VII. calendas Octobris. Anno 1592. CHRISTIANVS II. Saxoniae Dux, loco Patris, electus & postulatus Administrator Episcopatus Misnensis. vsitato Homagij iuramento, subditos illius in fidem & clientelam recipit, XIV. calend. Martij: sub tutela FRIDERICI GVILIELMI Proelectoris, anno aetatis IX. Anno 1601. CHRISTIANVS II. Electurae Saxonicae Haeres, completo feliciter anno aetatis XVIII. iuxta tenorem AVREAE BVLLAE, gubernationem Electoralem, magno cum applausu ac congratulatione Ordinum omnium, suscipit ipso Natali die, nempe IX. calend. Octobris. Quo tempore Legati Caesaris, item MATTHIAE Archiducis Austriae, tum ipse MAXIMILIANVS Archidux, aliorumque Imperij Electorum & Principum Consiliarij, ad gratulandum Electori nouo, Dresdam veniunt.

Initio gubernationis Imperatorem Rom. RVDO LPHVM II. grandioribus aliquot fulminaribus machinis & tormentis bellicis, ab Turcam oppugnandum in Hungaria donat CHRISTIANVS Elector, cum inscriptione, plena subiectissimae significationis, fidei & obseruantiae erga Caes. Maiestatem: quam eandem postea etiam declarare consilio atque opera constanter, omni vitae tempore, studuit: memor symboli vere Heroici ac Christiani, quo plurimum delectatus fertur ab ineunte aetate: TIME DEVM, HONORA CAESAREM. Anno 1602. Dresdae nuptias celebrat CHRISTIANVS II. Elector, cum sponsa generosissima, HEDVIGE, Friderici II. Daniae ac Norvegiae Regis Filia, Christiani IV. Sorore: apparatu rerum omnium magnificentissimo & splendidissimo, pridie Idus Septemb.

Anno 1607. CHRISTIANVS II. Elector Sax. cum Duce Illustrissimo IOHANNE GEORGIO, Fratrem, Pragae, ob res grauissimas, ad Caes. Maiestatem profectus, honorificentissime ab eadem in arte Regia extipitur, pridie Non. Iulij.

Anno 1610. CHRISTIANVS II. Elector Sax. Feudum Iuliacensis Ducatus & Ditionum adhaerentium, cum Titulo vsitato ac consuetis insignibus, suo, Fratrumque & Agnatorum Principum nomine, in arce Regia Pragensi, ab Imperatore RVDO LPHO II. per solennem investituram accipit, V. Calend. Iulij. post annos CXXVIII. a prima donatione FRIDERICI III. Imperatoris Rom.

Anno 1611. Conuentus Electorum Imperij Miilhusae indicitur, ad VIII. Id. Iulij. Ad nunc profecturus Elector, vt suam imperio operam, Fidemque Imperatori probaret, cum penè jam in procinctu esset, morte repentina, sed placidissima consopitus, ad sempiternum istud Electorum Concilium, cui praesidet ipse DEI Filius, abit, die 23. m. Iunij, hora 10. post meridiem Corpus exanime, Christiano ac solenni ritu, Mausoleo Gentilitio Ducum & Electorum Saxoniae, inter questus & lacrymas pares summorum, infimorum, medioximorum infertur Fribergae, die 6. M. Aug.

EPITAPHIVM

Inclyti Principis sic habet:



CHRISTIANVS II. Dux Saxoniae, Iuliaci, Churæ & Montium, S. Rom. Imperii Archimarschallus & Elector, Princeps animi iuxta ac corporis dotibus insignis, prudens, fortis, beneficus, pietate in Deum, constanti fide in Caesarem, amore in patriam, aequitate & clementia in subditos, nulli Maiorum secundus, gravis nemini, iucundus omnibus, bello Iuliae censine caede & sanguine sopito, in complexu suauissimæ & laudatissimæ coniugis, maximum sui desiderium relinquens, pie in Christo obdormiuit, die 23. Iunij, hora 10. post Meridtem, Anno M. DC. XI. postquam vixisset annos 27. M. 9. d. 23. & regnasset annos 9. m. 9. d. 23.

Moneta funeralis ab vna parte.

Imaginem defuncti Principis exhibet cum inscriptione

MEM. FVN.

CHRISTIANI II.

S. Rom. Imperij Archimarschalli & Electoris, Ducis Sax. Iul. cl. & Montium, patifici, Benefici, Nati XXI. Sept. Anno M. D. LXXXIII. Denati XXIV. Iunij, Anno M. DC. XI. in aversa facie.

Pro fide

supra fidem,

DEO ET CAESARI,

Mors rapuit.

Non deficit

alter.

CHRISTIANVS II. BENEFICVS, X. DVX SAXONIAE
ELECTOR.



Nomine regis, fuit CHRISTIANVS & inelytus Heros,
Caesaris ELECTOR, magnus & orbis honos.
Nam per Te pietas stetit, & Concordia fida,
Virtus est letho fortior, igne Fides.

Princeps CHRISTIANVS fuerat pietatis imago,
Iustitiae columen, clementis & oris asylum,
Tutamen Patriae firmum, lux provida rerum,
Et vitae speculum populis illustre decentis,
Illi cura sacro Princeps, defendere cultus,
Aeternumque pio venerari pectore numen.

IOHANNES GEORGIUS MA-
GNANIMVS ET CONSTANS, XI. SAXONIÆ

DUX ELECTOR.



NNO Domini MDLXXXV. IOHANNES GEORGIUS Saxoniae
Dux &c. Christiani I. Electoris Secundus Filius, in arce Dresdensi nascitur,
III. Nonas Martij, hora 10. post Meridiem, cujus per Baptismum initiati-
oni affuerunt vterque Elector Avus & Avia.

Anno 1603. postulatus Administrator Præsulatus Mersburgensis,
subditis illius Diæcesis, juramento fidelitatis adstrictos, in fidem ac cliente-
lam suscipit, VII. Idus Maij.

Anno 1604. nuptias Dresdæ celebrat cum inclyta sponfa Princi-
pe, SIBYLLA ELISABETHA, Friderici, Ducis VVirtembergici Filia, XVI. Cal. Octobris.

MDCVI. Dresdæ suum diem obit prima conjunx Illustrissimi Ducis Saxoniae IOHAN.
GEORGIUS, SYBYLLA ELISABETHA, in ipsis penè primordijs Conjugij suavissimi, die 20.
M. Ianuarij.

Anno 1607. IOHANNES GEORGIUS, Saxoniae Dux, secundas nuptias Torgæ ad
Albim celebrat, cum generosissima Principe, MAGDALENA SIBYLLA, Illustrissimi Princi-
pis ALBERTI FRIDERICI, Marchionis Brandenburg. & Borussiae Ducis, Filia, XIV. Ca-
lend. Augusti.

MDCIX. SOPHIA ELEONORA, Filia primogenita IOHANNI GEORGIO Saxo-
niae Duci, nascitur die 23. m. Novembris. MDCX. MARIA ELISABETHA, Illustrissimi
Ducis, IOHANNIS GEORGIUS filia altera in lucem edita, die 22. m. Novembris. &c. Deus
Opt. Max. Serenissimo Electori Saxoniae, DN. IOHANNI GEORGIO,

qui verè est

RELIGIONIS ARA,
TRIBUNAL IVSTICIÆ,
PRVDENTIÆ DELVBRVM,
MANSVETVDINIS SACRARIVM,
MODERATIONIS, HVMANITATISQVE LARARIVM,
VIRTVTVM THESAVRVS,

In multos Nestoris annos benedicat! Amen,

*Interea excelsum nomen, laudesq; canemus,
Donec in hoc aliquis corpore sanguis erit.*

IOHANNES GEORGIUS MAGNANIMVS ET CONSTANS,
 XI. SAXONIAE DVX, ELECTOR.



Chare DEO Elector, laeto nunc omine salve,
 Martis & artis honos Saxonicaeq; domus.
 Magne PATER PATRIAE, Dux ô fortissime salve,
 Imperij numen, lumen honoris ave.
 Vive diu, ceu lux multis memorabilis annis;
 Perge DEVM MAGNUM, Cæsarem amare diu.

Maximus Elector, nam magna luce coruscas
 Iustitiae, Regisq; calet caelestis amore:
 Cum cultu, populi versatur ab ora, sereno.
 Virtutum radios latè diffundit, & omnem
 Afficit ingenti complens dulcedine terram.
 Hoc Duce salva manet Respublica Teutona salvo,
 Et florente, schola florent, sacra recta fociq;.

ALBERTVS ANIMOSVS, DVX SAXONIÆ. etc.

Nunc, eorum quosdam, qui, Misnensis ortus, Saxonie Duces, dempto Cæsarib. creandis VIIviratu, fuere, breuiter describere pergemus. E quibus primus esto ALBERTVS, Ernesti Electoris frater, Placidi Friderici filius, Bellicosi, primi, e Myfis, VIIviri Saxonie Ducis nepos: quem in pueritia, unà cum fratre, plagio surreptum & liberatum in collectaneis ad Ernestum exposuimus, aliquot iam tum maximæ futuræ indolis argumentis in Alberto se prodentibus, quæ Misnensium Scriptores indicant. Contractæ item (vltura cetera quæ omittimus) cum Bohemo Rege Georgio necessitudinis mentio facta Socer enim is rex Alberti fuit, Sidonia siue Zedena filia ei collocata, nuptijs eodem anno, quò Placidus Alberti pater breui post e uiuis excessit, celebratis. Oblatum sibi, à foceris obitu, Bohemiar regnum ambire initio pulchrum existimans, mox fluxam eorum à quibus accersitus erat, expertus fidem, si mul insidias, moentè, vel simulatè, vel serio Matthia Coruino rege Hungariæ (is enim, & Fridericus Imp. & Polonus Vladislaus candidati regnum pro se quisque sollicitè petebant) ueritus, reducto domum milite suo, inceptum omisit, & Friderico auunculo Matthiæ Hungari inimico militauit. Cùm induciæ bellum Hungaricum tum intercepissent, Nouesiana contra Carolum Burgundiæ Ducem Germaniæ expeditio sequuta, in qua sumus Imperialium copiarum signifer Albertus ipsis in castris constitutus est. Composito, Nouesiano motu, in Silesiam, cum fratre, & cum Brandeburgio Albertus contendit; quando, ea, cuius, ad Ernestum, meminimus, de exercitibus e Germanico solo abducendis, tribus cum Regibus actio instituta fuit. Albertus, priuata causa, quòd conuitorum superbè in Matthiam regem iactorum insimularetur, iracundū regem, heroica ingenij pectoris magnitudine, improuisus, comite uno interprete, adiit. eumq; tametsi Germanorum Principum, hac in militia, uoluntates & conatus improbantem, aduentu tamen Alberti, simul generositatis eius admiratione, simul lætitia adfectum ac ipsum honorificè excipientem, virili & intrepida executione, cum armis se, non uerbis ad mulierum morem, bellatum uenisse, arma Imperij Rom. nomine cepisse, aliaq; in eandem sententiam diceret, uehementer sibi deuinxit, & ad perquam magnificè de se sentiendum commouit. Itinere in Palæstinam confecto, Alberti tanquam arbitri, interuentu, concordia inter Vladislaum Casimiri Poloniae regis filium & Matthiam Regem Hungarum eijt. Iohanne utroque, & Ludouico, filijs infantibus & Guilelmo patruo amissis, filiaq; Catharina Sigismundo Austriae Archiduci desponsata; patru, & ceterarū provinciarū diuisio inter fratres facta, resq; anno 1485. IV. Idus Novembris, in curia, Lipsiæ, nulla cum offensa ac pacificè confecta est. Ad quæ tempora, Misniæ metallorum tanta ubertas erat, ut in Schnebergio metallo à uenarū præfecto, massis seu ballucis argenti puri mensam & sedilia præbentibus in ipso fodinæ cuniculo, Albertus aliquando conuiuio exciperetur. Rogatu porrò Friderici Imperatoris, cui Matthias Hungariæ Rex magnā Austriae & Stiriae partem ademerat, suscepta rei bellicæ cura, depulsum à Strigenæ Stirorum, & Neapolis Austriae obsidionibus regem, ac repressum, ut ad conditiones pacis descenderet, adegit; unde miram sui uenerationem atq; amorem eos apud populos excitauit; cùm pax tunc confecta ad Hungari usq; regis obitum durauerit. Maximiliano à Brugenibus capto, Albertus seorsum à ceteris principibus, cum insigni equitatu in Belgium aduolauit, ubi & Imperatori, & eius filio (cui gratissimus erat) operam suam studiumq; usq; adeò probauit, ut totius Belgij Præses ab eis constitueretur. Qua in administratione ita se gessit, ut id officij sibi inuidentium machinas omnes haud difficulter elideret, Belgium Flandriam præsertim à factione Gallica egregiè tueretur. contumaces fortiter ad petendam suppliciter pacem cogeret: ad summam totam hanc militiam summa sua cum gloria, Maximiliani etiam amitini sui emolumento, parta undique uictoria, terminaret, quoad anno 1493. omne, regendi illud munus eidem Cæsari reddidit: inter alios honores Equitum etiam aurei uelleris ordini (raro tum quod superiorib. Germanis offerretur, munere,) adscriptus, Friderico filio in ecclesiasticum ordinem cooptat. Equitumq; Borussiae Marianorum Magistro effecto, ad statum Frisiæ ordinandum animum Albertus aduertit, Frisiā ab Imperatore, Maximiliano I. uirtutis & maximorum meritorum præmium, pro sese, hæredibusq; suis in perpetuum regendam Ordinibus Imperij assentientibus, dono acceperat. In eam parere recusantē cum milite ipse profectus, discordium vires non magno labore fregit, & occupatæ regionis parti, cūm Henricum filium præfecisset, Frisijs, ab eius discessu, ad arma redeuntibus, Henrico Franciae obsessō, magis itineribus eò reuersus, profligatis obsidentibus filium liberauit. Ipse Groningam urbem circumfedit. Ad eam castra dum haberet, æger factus, & ex castris Embdam deponatus, illic, pridie Idus Septembris, anno ætatis 57. Christi Domini nati, supra mille, quingentesimo, diem extremum clausit: Imperij Rom. & patriæ, dum uixit, defensor haud dubiè acertimus, quem non im merito, dextram Imperij manum, Germanicum etiam Hectorem, ab ijs qui tum uixere, & militari uerbo Rolandum, ab illo fortissimo quondam Caroli Imperatoris magni propinquo, appellatum fuisse accepimus, elogijs ad omnem posteritatem duraturis. Superfuerunt ei, Georgius, & Henricus, ac Fridericus Prussiæ Princeps Magister, filij; & Zedena coniuux anno 1510. fato functa, paucisque post eam mensibus Fridericus, Misnæ maiorum monumentis illatus. Ipsi uerò Alberti corpus, e Frisia; Misenam quoq; paternum ad sepulchrum relatum, in eoq; hostilibus aliquot vexillis ad tumulum suspensū, depositum fuit.

GEORGIVS BARBATUS DVX
ALBERTVS ANIMOSVS DVX

SAXONIAE, &c.



*Quis vir hic est? ALBERTVS hic est, Rutandus et ille
Caroli, et Imperij dextera, Saxo, manus.*

ALBERTI, toties haesit victoria Belgae,
ET tua Rex Pannon, reddita nulla manu;
Haesit, & in nullos vestigia rettulit annos,
Res magis ut deceant nomina nulla suas:
Hectoris Alberto ac nomen quod, faustius, haesit,
Imperij dextra, nobiliusq; manus.

K

GEORGIUS BARBATVS DVX

SAXONIÆ, &c.



Georgius, ab Alberto patre, in Frisiam abituro, domi administrandis reb⁹ imposit⁹; cum parens in Frisia fatis concessisset, de casu illo certior fact⁹, domesticū gerere imperium perrexit. Postea in Frisiā abiens, sex ibi mensib⁹ exactis, Frisios sibi parentes iureiurando suā in fidem adegit. Sed domum vixdū regressus, & ijs quæ vsus erat ibi conficiendis animum aduertere incipiens, nouis motib⁹, Edzardo, Oriental. Frisiæ Com. quem Georgi⁹ occidentalib⁹ Frisijs præfidem reliquerat, auctore è Frisia nunciatis querela ad Maximilianum I. Imp. delata, vt Edzard⁹ proscriberetur effecit; verū operā ludere sese videns, præmissis duobus legatis, contra Frisios bellū inchoauit: ipse legatos subsequut⁹, Brunsvicensibus in societate adscitis Ducibus, post Frisiorū castella aliquot atq; oppida expugnata, Groningā primariā Frisiæ urbem, potissimum Edzardi rerum omniumq; eius viriū munimentū atq; præsidium obsidione cinxit, Edzardo eam vi soluere frustra annixo. Durante Groningensi oppugnatione, Thamū etiā oppidū neq; illud imunitum, à Groninga duobus distans miliarib⁹ nonis Augusti anno 1514. magna oppidanorū clade, præsentē ipso Duce Georgio expugnatū est, è Misnenibus etiam, aliquot magni nominis, è nobilitate, & militū, cæsis. Edzardo autem pessimè de Saxonie Ducibus merente, populariū animis à Myso & Saxone plane auersis, quanquā Georgius Thamo capto, quod ex Frisijs agrorū subegerat, certis cū præsidio pfectis tuendū comississet, reliquū exercitū partē dimississet, partē Frisio in solo in hyberna diuississet, animo quæ ceperat, vt videbatur, exequendi: ijs tamen, quas attingi, aliisq; difficultatib⁹ vel maximè impedit⁹, grauissimisq; rationib⁹ plurimis permotus, à bello isthic persequendo destitit, idque Maximiliano Cæsari cum significasset totū illud negotiū ipsi Cæsari remisit; atq; alijs postea rationibus ipsi fratriq; gerentib⁹ aliquatenus satisfactū est. Prægrauè illud Frisij belli onus, non ignauia neq; secordia (Thami enim expugnatio, occupata fortiter maxima Frisiæ pars, ita vt sola propè, quæ maximi momenti esset, Groninga plenæ Saxonum & Mysorum victoriæ obstare videri potuerit aliud demonstrant) sed pleno prudentiæ consilio, Georgi⁹ à se amolitus Brunsvigijs Ducib⁹ cum Hildeshemensi Antistite belligerantib. suis in Frisio tumultu confœderatis Turingorū & Misnensium equitū cohortes aliquot subsidio misit. Sexennio post à rusticana plebe excitat⁹ ingens motus totā momento euertisset Germaniā, nisi vigilans, vnā cum ceteris Principibus Proceribusq; Georgius, contractis in tempore virib⁹, serpenti malo maturè obuiā iuisset. Interea, ac deinceps quoq; rerū domesticarū totiusq; imperandi rationis eam suscepit curam Dux prudentissimus, vt ob iustitiam & moderationē & à populo amaretur ac obseruaretur; & ab equestri ordine coleretur ac suspiceretur. Initio quidē suscepti imperij, ob ætatē necdū satis maturā apud suos contemtor; sed præclara indoles illius (vt in prima iuuenta optimis exculi artibus & litteris adeo diligenter, vt absq; interprete, familiariter cum exteris, quæcunq; vellet, Latine colloqueretur, commentariolum etiam, penè puer, de reb⁹ à patre gestis conscriberet) quò maturius ipse ad regendū accesserat, eò illa quoq; citius sese exeruit, imò magnā peradolescēti etiamnum Principi apud Fridericum III. Imp. ad quē Pater Albert⁹ ad comitia a⁹ni 1491. Noribergensia eum deduxerat, gratiā conciliauit, quod iam tum grauitatis atq; prudentiæ multa in ipso signa apparerent; natura insuper ei habitum ac staturam & viro & Principe dignam largiente. Armante se aduersus Turcas a⁹no Christiani numeri 1532. vniuersa Germania, militi à se misso Hoietum comitem Mansfeldium Georgius præfecerat Triennio post ad Monasteriū Vestphaliæ urbem, seditione rusticanis furijs non leuiore, ab anabaptistis occupatam recuperandum indicta sibi auxilia fideliter miserat; & alia, contra Gallum cum Carolo Cæsare belligerantem, in Prouinciā Narbonensem, è sola nobilitate constantia. Rumorē subinde ab Othone Paccio equestris ordinis Procancellario suo disseminatum, quasi contra generū Philippum Principem Hessum, & VII virum Saxonē Iohannem foedus cū Ferdinando rege, & Præsulib⁹ quibusdam, aliisque Principib⁹ percussisset, facile diluit, Othone vanitatis conuicto. A⁹no postea 1534. cum Philippus Chattus Vtricū VVirtenbergensem Ducē in patriū principatū armata manu reduxisset, Georgius in eo totus fuit, vt imminens genero, rebus in dissidium grauius exituris, discrimen modis omnib⁹ auerteret: sollicitusque sanè ac diligens intercessor, in Cadenensi congressione, vt causa illa pacatis rationib⁹ componeretur, perfecit. Ferdinando enim longè erat gratissim⁹; neque min⁹ apud Carolū Aug. eius fratrem poterat, ab eo dudum in aurei velleris equitum Burgundicum ordinē adlectus. Ceteroqui religionis in Saxonia & alibi tunc occēptam mutationem maximoperè improbauit, etiam si Eccio, Carolo stadio, & Luthero disceptaturis Lipsiæ conueniendi locū concesserit, & Mersburgensi Præsuli concedendū esse, protsus abnuenti acerbè responderit; cum interim iustitiæ & seueritatis, vt solebat, tenax, Nicolao Schömbergio, cognomine etiā ipsi patruo Antistite Capuano Rom. admodū ecclesiæ (qua in obseruanda Georgi⁹ Principū secundus fuit nemini) Cardinale enixè deprecante, nequaquā indulgeret. È Polona sane coniuge, Casimiri II. Poloniæ regis filia à patre adhuc viuo sibi desponsa, quinq; filios, totidē filias cū tulisset, ex illis quinq; infantes obiere: Magdalena etiā filia, & deinde vxore vtriusq; seni Principi longè charissimis, ante ipsū extinctis. Iohānes & Fridericus, filij; ille Elisabethæ iam, Guilelmi Chatterū Principis, hic Agnetis Ernesti Comitissæ Mansfeldij, filiarū mariti; prior annū iam agens 37. posterior cū vixisset a⁹nis 35. quadraginta nouē ante parentem dieb⁹, è viuus abierunt: solā Christianā Philippi Hessi vxore, & fratrib⁹ sororibusq; omnibus superstitē, & patri; qui tametsi, animo præsentē & magno semper fuerat, tot tamē liberorū (masculæ præsertim stirpis omniū) mortibus vehementer turbatus, senio simul, morbo, curisque accedentibus, in Dresdensi aula sua, XV. calend. Maij a⁹no natiè Virgine Christi Seruatoris 1539. naturæ concessit, cū a⁹nos ipse haberet 67. menses 7. dies 21. Principem egisset a⁹nis plusquam 39. vltimus Saxonie Ducem (vnā cum vxore & filijs) Misnæ, sed in proprio quod sibi & vxori extruxerat sacello, Sepultus cubat.

GEORGIUS, BARBATVS DVX
SAXONIAE, &C.



*Cernitur effigies, Dux, heic tua, Saxo, GEORGI,
Quod nequijt sculpi, pulcher eras.*

*O Quàm bellantem Pallas te sedula textit,
Pace tibi mentem quàm dedit aqua catam.
O quàm carpebat, lesi, te dindice, recti,
Nocte, die, tutum saepe viator iter.
Saxonas ergo Duces inter, Dux Saxo GEORGI,
Dotibus his omni tempore maclus eris.*

HENRICVS PIVS DVX SAXONIÆ, &c.



VT in locum Georgij fratris Henricus succederet, tenuit; quanquam, quem nominauimus, frater eius, ob diuersam de capitibus religionis in disceptationem vocatis sententiam, secus statuisset. Adolescens Henricus hic, cum aⁿum circiter 1492. auspicio ductuque patris Alberti, egregia in Belgis heroici animi atq; ingenij specimina edidisset; quadriennio post transitura perpetuò in suæ familiæ & lineæ Saxonas masculos hæredes Occidentalis Frisiæ gubernatione donatum à Maximiliano I. Cæs. patrem ad Frisios profecturum comitari iussus, ab eo anno 1499. isthuc appellente Præses Prouinciæ constitutus, dum cum coniunctis sibi consiliarijs & ductoribus, inter partem, nondum satis pacatos, partem necdum morigeros agit; ab aduersarijs repente Franecceræ obsessus, mox ab accelerante in Frisios patre, cæsis hostibus, periculo & obsidioni exemptus; ac contra caput rebellium Groninga à Mysis & Saxonibus circumfessa est. Albertus, morbo incertum quo, sublatu, antea filio Hugonem Leisniciu Comitem legatum adiunxerat: is Groningam obsidere pergens, quadrienij inducijs à Friderico Præsule Ultraiectino pactis, ceptum tunc quidem omisit. Henricus verò, Edzardo Orientalis Frisiæ Comite summa cum potestate rebus Frisijs præfecto, in Misniam redijt. Ad extremum, Cum Carolus Geldriæ Dux Frisiæ dominatum affectaret, eaq; inciderent, quorum in collectaneis ad Georgium Ducem obiter mentionem fecimus; Henricus hic noster, eiusq; vnà frater ad Carolum Burgundiæ Ducem obiter mentionem fecimus; Henricus hic noster, eiusq; vnà frater ad Carolum Burgundiæ Ducem (Imp. deinceps eius nominis V) missis legatis aⁿo 1515. ita cum eo transegerunt, vt acceptis à Burgundo ducentis aureorum nummum millibus, omni in Frisiam iure suo se abdicarent, idque in Carolum ac legitimos eius hæredes & successores transferrēt. Tum verò Henricus Syriam & Hispanias petijt: in his Compostellam; in illa terras Christi & Apostolorum altrices inuisurus, simul longè distitas gentes adeundi, earumque ritus ac mores noscendi cupidus. A reditu, cum Maximiliano Cæsari I. in aula eius, & bellis operam aliquandiu non inutilem præstitisset; in patriam tandem se recipiens, Freibergæ, Vulchensteini, & Mariebergæ (quod in oppidi formam primus ipse redeigisse fertur) in Misnia ciuitatum (neque enim fratre ex omni paterna hæreditate plus bonorum acceperat) possessione, ad fratris vsque obitum, contentus vixit. Chemnicij in comitatu fratris fuit cum ad annum 1510. Fridericus III. VIIvir, & frater eius Iohannes, Saxonæ Duces, eò, cum agnatis quæ inciderant controuersias sedaturi venissent, Exorto agrestium tumultu, officij sui, virtutisque pristinae non immemor, quæ ad tollendum hoc malum facerent, minimè neglexit. E Catharina Magni Megapolensium Ducis filia, quam quadragenarius iam, anno part. Virg. 1512. duxerat, sex omnino liberos, pari sexus vtriusque numero, genuit. Puellarum, Æmilia in Georgij Marchion. Brandeburgij, Sibylla in Francisci Saxonum Ducis Lauenburgij, Sidonia in Erici Brunsvicensium Principis matrimonijs fuere. E filijs patri superfuèrunt; Mauricius, atque Augustus, vterque postea Dux Saxonæ VIIvir: prior maritus factus semestri ferè ante parentis mortem, quæ incidit in 18. diem Augusti, cum annus numeraretur à nato Seruatore 1541. ætatis ipsius Henrici plusquam 68. gestæ ab eo, ab obitu fratris, reipublicæ secundus. Seuerinum quoq; filium habuit, cum regijs liberis Oeniponte educatum, & cum aⁿos iam vixisset XI. ibi defunctum, ac Stamiano in cœnobio sepultum. Ac huic quidem Augustus frater eius natu minimus cenotaphium deinde in eo quod dixi cœnobio erexit: Henricus autem pater Freibergum oppidum, quod ab initio aulae sedem habuerat, sepulchrum quoq; sibi præbere voluit: quò, cum Dresdæ vita functus esset, liberi & vxor (20. demum post maritum annis, vt annotatum reperimus, extincta) translatum sepeliuere.

HENRICVS PIVS DVX SAXONIÆ, &c.



HENRICVS genuit Dux (hæc est cuius imago)
Saxo Creatores Cæsaris js Te' duos.

Indole te celsâ, seseq; & stemmate summo
Albertus dignum vidit ut esse pater;
Præponit Frisiis, depulsoq; eripit hosti;
Quis gnatos melius nouerit, atq; parens?
Mitis eras, HENRICE, domi, foris acer; eisdem
Est tua progenies perpes, eritq; modis.

L

IOHANNES ERNESTVS, I. DVX SAXONIAE, &c.

Iohannem hunc Ernestum, Iohannis Friderici hoc nomine primi, Electoris (vt se è captiuitate liberatus, permissu Caroli V. Aug. quamdiu postea superuixit, scribebat) nati fratrem consanguineum, Iohanni Saxoniae VII viro Duci Margarita Valdemari Principis Anhaltini filia peperit, placidum, ac per omnem vitam modestissimum hominem; neq; bellicae vitutis expertem: siquidem quo tempore frater VII vir à Carolo V. Imp. victus captusque est, Dux hic noster in Vitebergæ oppidi praesidio fuit: vbi vnà cum eo fratria Cliuensis Sibylla, eiusque duo filij Iohannes Guilelmus, & Iohannes Fridericus III. eodem erant tempore. Viteberga dedita, fratriam eiusque liberos in Turingiam abeuntes comitatus hic Iohannes Ernestus, inde Coburgam sese, in nostratam Franciam orientalem contulit, quòd qui isthic Saxonum Ducibus subijciuntur agri, diuisa inter fratres haereditate, ipsi obvenissent. Coburgi, cum ante Germanicum illud, cuius meminimus, bellum, tum deinceps, pacatè viuens, cum Erenburgum arcem ibi exstruxisset, VI. Idus Februarij anno Christi nati 1553. suæ verò ætatis, 31. menseque insuper 8. placido exitu è viuus abiit; ex vxore Catharina Philippi Ducis Brunsvicensis Grubenhagij filia (quæ cum Philippo deinde Comiti apud Turingos Suarceburgio nupsisset, anno post obitum prioris mariti vigesimo demum & octauo vitam finiit) nullis prorsus relictis liberis.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

IOHANNES ERNESTVS, I. DVX SAXONIAE, &c.



*IANO ita ERNESTVS, Saxo Dux, oro ferebat,
Pectore patrem et avvm, nominibusq; ciens.*

*Hic Coburga dedit sedem, Coburga sepulchrum,
Nominibus dicto patris auig, Duci;
Saxonis, ERNESTO IANO, qui praesuit agris,
In Franco proavi quos peperere solo.
Scire cupis, fuerit qui vir? Quos rettulit ambos
Nominibus patres; dignus utroq; fuit.*

IOHANNES FRIDERICVS II. DVX SAXONIAE, &c.



Maximus natus hic Iohannis Friderici quondam Electoris filius, ultra alias virtutes, principibus viris dignas, amoremque & peritiam liberalium aliarumque artium & linguarum, à magno profectâ animo tolerantia laudabilis, cum patri aho 1554. successisset, cum fratribus suis ita transigit, vt primo decimo solus paternis ditio- nibus praesset. Cum Augusto etiam agnato & Electore, Naumburgi ad Salam colloquutus, & quæ pater cum ipso pepigerat, suo fratrumque nomine rata ha- buit, & abolitâ omni offensarum memoria, gentilitia vetera successorum pacta foederaque reno- uauit: ac quò confirmatoria omnia essent; Agnetem Chattam, à Mauricio Augusti fratre ac de- cessore relictam viduam, vxorem duxit; quæ tamen, perbreui utique matrimonio, sexto post nu- ptias mense interijt; elapsoque ab eius morte triennio, Princeps hic noster Elisabetham Friderici III. Com. Pal. ad Rhenum VIIviri filiam matrimonio sibi iunxit: atque eodem quo Palatinam sibi despondit anno, vnâ cum fratribus, decennio ante inchoatam à patre Ienensem, ad Salam, Acade- miam, publicatis à Ferdinando Cæsare amplissimis ei academiae concessis priuilegijs, solenni ritu ac cerimonia inaugurandam curauit. Sequutum inde tempus, quo probus hic aliàs, & moribus mi- nimè fucatis praeditus Princeps, à Guilelmo Grumbachio & socijs, ob facinora publicam Germa- niae quietem turbantia proscripitis, imponi sibi passus, eis apud se Gothæ Grimmensteinâ in arce re- ceptum auresque adeò secundas praebuit, vt ab ea mente deduci haudquaquam quòd posset, cum ipsis vnâ, eo in loco, ab agnato suo Augusto Saxoniae Duce VIIviro (Imperatoris omniumque sacri Imperii Ordinum scito iussuque) obsessus & oppugnatus, oppido arceque ibidus Aprilib. anni 1567. deditis, proscripitis capitali supplicio adfectis; ipse captus, ac in Austriam abductus sub Maximilia- no II. & Rudolpho II. eius filio Augg. Neostadij & Stiræ plerunque, in custodia, ad viri Principis morem, detentus, 28. totis annis eâ in custodia permanere maluerit, quàm oblati quandoque gra- uioribus, vti videbantur, conditionibus approbatis liberari. Palatina, vt diximus ipsius altera vxor, (fidelissimi maximèque pij inter coniuges, quacunque in fortuna amoris exemplum posteris futu- ra) maritum in exilium sequuta, anno ante ipsum vno obiit; cum quatuor illi filios peperisset, Io- hannem Fridericum IV. & Fridericum, infantes mortuos; & Iohannem Casimirum, Iohannemque Ernestum, II. parentibus superstites. Iam ipse, de quo agimus, Iohannes Fridericus parens, Stiræ Austriae oppido, anno ætatis suæ (vltima menses quinque) 66. æræ Christianæ 1595. VII. idus Maij more Iul. piè tranquilleque decedens, Coburgi apud Francos sepelitur.

IOHANNES FRIDERICVS II. DVX SAXONIAE, &c.



*Alter eras Saxo hac Dux, IANFRIDERICE, figura;
Principis exemplum qui patientis ades.*

Nomine Saxo Patri, Dux IANFRIDERICE, secundus,
Haud dubiè his similis dotibus eius eras;
Magno animo, mitiq, nec impatiente malorum:
Dotibus is laudes quas tulit ergo suis;
Has quoq, tute tuis meruisti dotibus, hisce,
Parte tui potis es nec meliore mori.

M

JOHANNES GVILELMVS DVX SAXONIAE, &c.



Iohannis Guilelmi acta qui intuebitur, non ineptè fortassis eum & Guilelmo maiori ipsius patruo (ei qui cum Friderico Placido fratre VIIviro bellum gessit) & Iohanni auo, itidem VIIviro, cognomine Bono & Constanti (quorum vtrumque nominibus refert) comparauerit. Sed eam comparationem exequi historicorum fortasse fuerit: nos, vt solemns, strictim, eum, vnà cum patre Iohanne Ernesto, oppido Vitebergæ, cum id oppugnaretur, volente patruo, præfuisse, in ijs quæ ad Iohannem Ernestum supra adscribebamus, diximus: cum matre deinde, & familia reliqua, dedito oppido, in Thuringiam discessisse: à morte Iohannis Friderici patris, cum maximo natu fratre pepigisse, vt is primo decennio solus paterna ditione potiretur. Qua ratione adductus Iohannes Guilelmus, cum Ferdinando Imp. aliquamdiu frustra operam obtulisset, anno 1558. Gallicis sese stipendijs regijs addixit, eoque ipso statim tempore 1540. equitum in Gallias adductis, regi Henrico II. inter cetera Calètum seu portum Iccium tunc Anglis, ductu Francisci Ducis Guisij, eripienti militauit: atque adeò aliquantisper Gallica in aula commoratus, eamque sequutus est. Anno autem 1565. mortuo tum tertio horum fratrum, III. item eius nominis Iohanne Friderico) partitus cum fratre natu maximo bona, Francicæque ipse sortitus, fratri Turingica reliquit. Verùm ei, biennio post Guilelmum Grumbachium & socios tuendos suscipienti, diuersum longè suadens, cum consilio & precibus apud eum nihil proficeret, publicæ causæ, & viribus eam defensuro, secundum Imperij decreta, Augusto Saxoni VIIviro agnato suo, se coniunxit, perduellibusque merita poena adfectis, & dedente se fratre, ne Grimensteina arx munitissima solo æquaretur, quod petebat, obtinere quidem non potuit; sed pro Coburgicis Turingicas in posterum adeptus est possessiones: sequentique isthuc negotium anno, vocanti Caroli IX. Galliarum regi ter mille Germanos equites adduxit, cum Condæo Principe eiusque confœderatis gerenti bellum. Pæce autem tum inter dissidentes coeunte (ad quam & faciendam & fideliter seruandam, Dux hic noster monendo atque adhortando diligentiam summam adhibuit) domum reuersus, quinquennio, quo superfuit, reliquo, boni, & ciuium ac patriæ amantis magistratus officio satisfacere omni ope est annixus; in liberalis etiam disciplina, earumque cultores, & linguarum gnaros (quarum & ipse ad laudem vsque peritus erat) ita affectus, vt nihil eâ in re istorum quisquam facile in ipso desideraret. Tandem Princeps hic, animi & bello, & pace, excelsi, postridie Calend. Martias, anno restitutæ gratiæ 1573. ætatis suæ 43. Vinarie in Turingia viuendi fine facta, eadem in vrbe sepulchro illatus est: cum, ex Dorothea Susanna Friderici III. Palatini ad Rhenum VIIviri Comitissæ filia, coniuge sua, natos sibi Sibyllam Mariam filiulam sexennem amisisset; Mariam autem filiam alteram, Fridericum Guilelmum (de quo suo loco diximus) & Iohannem II. filios successores relinqueret: vidua etiam Palatina ipsi superstite, & anno demum 1592. IV. calend. april. defuncta.

IOHANNES GVILELMVS, DVX SAXONIAE, &c.



*Qui fuit hoc IANVS Saxo Dux ore GVILELMVS,
Prime, fuit gnatus, Janfriderice, tuus.*

G Allia te nōrat, nōrat Germania fortem,
Saxonici Princeps IANE GVILELME solē,
Hac in seuit auius tibi semina; patruus auxit
Maior, & exemplis reddidit ampla suis.
Nominibus simul, & retulisti moribus ambos:
Teq; illosq; dies tollere nulla potest.

IOHANNES II. DVX SA- XONIAE, &c.



Patri Io. Guilelmo minorem natu filium Iohannem ideò statim subijcimus, quia de maiore natu Friderico Guilelmo, ratione eius quod haectenus gessit è tutela nati muneris, supra inter VII viros Cæsarib. condendis, aliquid attulimus: quam ibidem Iohannis etiam, de quo nunc dicendum esset, mentio à nobis facta. nihil quidem de eo, quod insignius adponeremus, reliqui nobis fecit: Nam & magnificas illius, tum 23. annorum adolescentis, cum Dorothea Maria Principe Anhaltina. Altenburgi Myforum, præfente Friderico Guilelmo fratre celebratas nuptias attigimus: & missum à fratre, cum alijs legatis, Pragam, à Cæsare, vt Bohemorum rege, Nariscorum seu Voitlandiæ veterem possessionem, fiduciario iure, pro agnatis primùm Christiani I. VII viri defuncti relictis impuberibus filijs; tum verò sequenti post, quàm hæc pro agnatis impetrarat, anno, pro fratre quoque Proelectore, atque pro se ipso simul, communi duobus his fratribus, masculisque eorum lineæ posteris inauguratione, obtinuisse annotauimus. Eundem porrò illustrissimum Principem, pubescentem adhuc, in sæpe iam nominati Christiani I. Saxon. Ducis VII viri aula vixisse; quas ab idonea statim ad discendum ætate dextrè prompteq; hauserit, omnibus præclaro Principi futuro necessarijs artibus, animiq; alijs & corporis bonis ornatissimum accepimus: filios autem, ex quo tempore matrimonium contraxit, Iohannem Ernestum III. Iohannem Guilelmum II. (& hunc quidem ab accepto statim sacræ ablutionis Sacramento extinctum) Fridericum IV. & Iohannem III. haectenus genuisse. In eundem denique Principem, eadem, quæ in alios, quos in præcipientium ceteris gradu Deus collocauit, bonis congerere solenne est vota, quin ab optimo quoque congerantur, minimè dubitamus.

IOHANNES II. DVX SAXONIÆ, etc.



*Nomen habet proavi, iuxta mentibus, IOHANNES
Dux Saxo. heic cuius cernitur effigies.*

Nomen habet proavi Dux hic, cen. Saxo IOHANNES;
Par ita gaudet ei poctoris esse bonis.
Principis hoc pectus seruet Deus, augeat annos
Eius, ut hoc letus sub Duce civis agat.
Laude magistratus nescit maiore potiri;
Ad canitur quando civis ab ore boni.

N

IOHANNES CASIMIRVS DVX SAXONIÆ, &c.



Atus est Illustrissimus Princeps & Dominus D N. IOHANNES CASIMIRVS, anno Salvatoris MDLXIV. pridie iduum Iunij. Patre Iohanne Friderico, cuius memoria in benedictione, Iohannis Friderici, Electoris laudatissimi constantissimiq̄ue, τὸ ἐν ἀγίοις Filio, & Matre Elisabetha Palatina, beatissimæ memoriæ, Principe pientissima. Hic vigesimus sextus est à Sighardo primo Saxonum rege, ea gente progenitus, quæ jam per annos non gentos octoginta tres Regum potentissimorum & Principum laudatissimorum, Electorumq̄ue maximè Illustrium, & autoritate in imperio dignitate, opibus, quin & pietate, omniq̄ue virtutum genere præcellentium fuit feracissima, videt à parte paterna Fridericum primùm Electorem Saxonie Bellicosum appellatum, fundatorem Academiae Lipsensis: Oculos movet percellitq̄ue mortalium fulgore quodam insolito etiam secundus ejusdem nominis & Septemviratus Imperij. Quid Fridericum III. dicam, illum nempè ipsum, qui celeberrimam VVittebergæ Academiam excitavit fundavitq̄, quem axiomate Imperij, Communibus suffragijs dignum censuerunt Romani Septemviratus proceres. Huius Herois latus servat Iohannes Frater, itidem Elector & Dux Saxonie inclytus Iohannes ille lumen Saxonicum, miraculum populorum & Constantie invsitatum exemplum, Iohannes ille Confessor intrepidus, & nullis minis periculisve à fidei firmamento avulsus, columnen pietatis sinceritatisq̄ue, & erecti ad Deum celsiq̄ue animi argumentum, cuius nomen, famam & gloriam nec hoc seculum poterit delere, nec non alterum in omnem æternitatem gratè prædicare. Apparet & Iohannes Fridericus magnanimus ille pro aris focusq̄ue athleta, etiam vterinâ notâ, qualis esset futurus, insignis. Nec minoris æstimandus Illustrissimi Principis Parens Illustrissimus, generosissimusq̄ue, IOHANNES FRIDERICVS beatissimæ memoriæ, vires suas per Illustrissimos Principes IOHANNEM CASIMIRVM ET IOHANNEM ERNESTVM filios laudatissimos, infractas ostendens. Alacere magnus sese aperit antiquæ virtutis, fidei & dignitatis patrum matrumq̄ue ordo. Videmus Pomeranie Principes, Megapolenses, Clivenses, Iuliacenses, Bergenses, Hafsos, Burgundos, Saxones, Brandenburgicos, Bavaros, Austriacos, Mediolanenses, VVirtembergicos, Brunovicenses proh fidem humanam, quântarum gentium nomina? Quàm illustria stemmata? Imperatores attingit Illustrissimus Princeps Maximos, pios, felices: attingit Reges, idq̄ue etiam linea materna, quæ habet Electores palatinos, Marchiones Brandenburgicos & Badenses: Archiduces Pannonie comites limitaneos Hafsie, Nassovios, Lotharingos, Geldros, Bavaros, Saxones, & alios præclaros principes, & præterea etiam Reges Hungarie, Lusitanie & Polonie, Imperatores Romanos & inclytam DOMVM AVSTRIACAM, quæ veluti arbor, umbra sua penè totum mundum complexa est, & orientem occidenti coniunxit, sublimium imperatorum & Regum amplissimorum stirps fecunda.

IOHANNES CASIMIRVS DVX

SAXONIAE.

IN HONOREM FVNDATORIS CASI-

miriani Illustrissimi.



Es gerere excelsis animis, virtuteq; gentes
Monstrare edomitas, & templa ornare trophais;
Dilatasse solum patriæ finesq; remoto
Figere in oceano: procul & duxisse colonos
Imperium Domini haud vnquam posuisse paratos:
Instituisse domos, implereq; civibus vrbes:
Pacis opus colere & leges incidere cedro
Montes in planum diffundere, claustraq; a verni
Rumpere stagnantis male, & altis fontibus undas
Mœnibus illatas alieno asciscere ab orbe:
Atque Athon immensum protundere velaq; rupto
Imposuisse solo, frena addereq; Helles ponto:
Condere Memphiticæ celi usque ad sidera mœles;
Multaq; præterea miracula gentibus olim
Tollere, naturam quæ possint vincere mundi,
Sunt opera æternum nomen ductura per ævum,
Vtilia illa quidem populis plerumque, nec annos
In paucos mansura, stuporq; nepotibus olim:
Sed non pauca putes temeraria, & ambitiosi
Nil præter testes atque argumenta furoris,
Vanæ laudis amor, quæ suaserit atque cupidus
Quæq; situs longi tandem deleverit ævi.
Quid perfossus Athos, quid vincula subdita ponto
Designent aliud, stolidas quàm Xerxeos Iras?
Quid fuisse rubro ceptæ de littore? Meta
Quid Phariæ, nisi vesani monumenta pudoris?
Quid Babyloniaca temeraria machina pubis,
Nimrodique manus? Queritur, dolet atque iuventus
Difficiles artes, variæq; opera ardua lingvæ,
Queram causa fuit turris structura superba.
Sic montes fertur temerè cumulasse Gigantum
Impia turba, Iovem cælo detrudere adorta
Sentit adhuc penam Enceladus (si credere dignum est.)
Flammi vomoructans fumosq; & lampades Aetna
Sentit & Inarime supposti vita Typhæi,
Magno argumento nil imprudentibus ausis
Consilijq; experte modo, fidum esse bonumq;
Quantò maior honos illum manet, inq; futurum
Se fert diverso populos moturus in orbe.
Quem non ambitiosa fames, sed gloria Christi
Tangit, & utilium non vana repertiorerum?
Tali se jactat, quo non sapientior alter
Orbe fuit toto notus genitore Davide
Laude, Deo sacrum templum molitus & aram
Cuius Memnonijs viderunt secula in oris

Nulla parem, sed nec delubrum sanctius ullum,
Hac Constantinus, Carolusq; effulgere quondam
Magnus uterq; ausis præstantibus haud dubitarunt,
Nec minus Augustum genus, & gens in clyta stirpis
SAXONICAE meruit tali molimine nomen
Aeternumq; decus, Sic scilicet ille IOHANNES
Magnanimus Princeps, quo non constantior alter
Asseruisse fidem, & veræ pietatis honorum
Extulit ad caelum caput, & fama obruit orbem
Vnde venit Titan, & quæ se vesperus undas
Mittit in Oceani alterno rediturus Eoo:
Quaq; afflat Libycos Phaëthontia flamma colonos:
Et gelidam assurgit tellus extenta per Arcton,
Nil superest mundo, quo non iustumq; piumpq;
Venerit aeternum memoranda laude IOHANNIS.
Et tua perspecta est populis Friderice potestas
Armipotens simul & literis excelsa refectis.
Te manet extracti Pleissenio in amne Lycai
Gloria, & illata Lipsensia in arva Thalia.
Invidit laudi Fridericus tertius isti, atq;
Aemulus, albicomam Musas induxit in urbem
In qua iterum Christi lux fulgida gentibus orta
Discussit tenebras, dum verbo fulminat acri
Spiritus, & lingua tonat altisonante Lutheri,
Quæ vis & nomen tantis se laudibus equet?
Cætera mundus habet, mox delapsurus in ignes:
Gloria de Musis, pietateq; fortiter aucta
Attingit solium Christi haud debilis unquam
Hac fruire ò felix IANNES CASIMIRE per ævum:
Hac IANNES ERNESTE, Ducum par nobile fratrum,
Stemmata Saxonia procerum longo ordine cretum,
Vestrum opus Isiacas præclarum surgit ad undas,
Et Casimiriadum domus, & Schola Dia Sororum.
Quæ melius Coburga suis nil vidit in oris,
Et quæ se jactare queat pius incola, Musas
Ni damnare velit Cyclopicus, & malè sanus.
Vera isthac laus est, pro qua nos vota quotannis
Cælicolum Domino facimus, seu redditur orbi
Conscia prognati IANNIS CASIMIRI agilis lux:
Seu qua Gymnasium cepit consurgere fundo.
Christe super celsò qui dignis omnia celo,
Principibus semper clemens allabere nostris,
Et Casimiriadum servaq; & protege sedem,
Ne vis vlla bonum possit subvertere tantum

IOHANNES CASIMIRVS, DVX SAXONIÆ, etc.



Intentant certè fatalem cuncta ruinam,
Quò veritas oculos, ibi nil nisi langvor et angor.
Vnum illud votis exposco ardentibus unum,
Posse. DEI templum colere, et membrum esse piorum.

Maxima cura Ducem, sequitur qui recta, fatigas,
Ut causas trutina momento ponderet equo
Aurea sic vitæ seruet rata vincula leges,
Iudicet has juxta populos, his pareat ipse
Subiectus; tribuatq; suum, quod convenit, omni:
Iustos è reprobis, æquum discernat iniquo.

IOHANNES ERNESTVS II. DVX

SAXONIÆ etc.



Ore majorum Illustrissimus Princeps ita religionis, sine qua nulla potest hominum esse, nisi turbulenta & cyclopica, curam agit, ut eius, & ἀληθειαν ὁμόνοιαν quæ duo bona filius Dei, morti jam vicinus, Ecclesiæ suæ precabatur, sartam tectam servet, & ad posteros, maxima Dei benignitate transmittere velit. Ius & fas, æquum & bonum, rectum & honestum acerrimè tuetur, & ne solvatur fides, quæ est anima Societatis humanæ, summo, quo fieri potest, opere, curandum putat. Leges & Imperatorias & provinciales eludi, suoq; loco moveri, & majusculis à vespis, haud aliter, quàm in telas araneorum perumpi, quod Solon querebatur, nunquam ferre potest, sed vnice dat operam, ut in earum sensu pariter & usu constet interpretationis, quæ quidem haberi potest certitudo, sententiarum æquitas, & executionis moderata severitas. Si enim sit absque hac triplici cautione, magistratum decreta non jam leges sunt amplius, sed Sophistarum ludibria, sed Syeophantarum schemata, sed inania terriculamenta.

Pacem in terris facile colit, etiam cum ijs, quos ὁμοψήφως in religione non habet, & omnes bellorum motus, si qui gliscant, antevertit. Toto vitæ curriculo, quo rerum potitur, non vllum sub signis militem, non vaginam gladio vacuam, non rapinas & latrocinia viarum, non interversa commercia, non villarum incendia, non everfiones urbium, non sexus muliebris ignominiam, non cædes hominum in nocentium, non mutata rerum dominia non religionis oppressiõnem, non abolitionem Legum, non dissipationem scholarum, non neglectam Iuventutis educationem subditi vident, sed omnia quieta & pacata sentiunt: quod certè beneficium longè majus est: quàm ut Illustrissimo Principi: & Duci Saxonie IOHANNI ERNESTO pares unquam habere gratias & referre possint.

Dulce nomen est pacis, res autem ipsa cum jucunda, tum salutaris, qua non modò ea, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta & agri lætari videntur. In bellis autem videre licet funestam malorum & publicorum & privatorum ideam, quam si quis fortassis animo suo capere nondum potest, is quæso legat querimoniam pacis, & explicationem proverbij, dulce bellum inexpertis, quarum utramque nobis Erasmus descriptam reliquit, & vix sibi temperare poterit, quin exclamet cum Cicerone: Si quem discordiæ, cædes, bella delectant, eum merito ex numero hominum eiciendum, & ex finibus humanæ naturæ exterminandum putamus.

IOHANNES ERNESTVS II. DVX SAXONIÆ, etc.



State viri, nostra pro parte stat ipse Iehova,
State viri, Christus nunquam sua membra relinquit
Causa tua est, causamq; tuam bone Christe tuere,
Te contra nihil est Satanas, Mors, Orbis et Orcus.

Quod si Lucifero iustum est formosius almo
Vt Stagirita docet: quanto Dux iustus & æquus
Ante alios homines illustrius emicat unius?
Scilicet est custos legum, lex vivida Princeps,
Lexq; loquens veluti Stagirita, & Tullius vno
Ore sonant: digna & vox Majestate verenda.

AVGVSTVS II. DVX SAXONIAE.



NNO MDLXXXIX. AVGVSTVS, Electoris Mauricij ex fratre pronepos, Augusti nepos, Christiani. I. Filius, duorum Electorum, Christiani II. & Iohannis Georgij Germanus frater Nascitur Dresdæ, VII. Idus Septembris, vesperi post horam 6. AVGVSTVS Saxoniae Dux &c. postulatus Administrator Episcopatus Cizensis & Numburgensis anno 1608. recipit Homagium à subditis vtriusque Diocesis, XIV. Calend. Sextiles. MDCXII. nuptias celebravit Cal. Ian: cum Elisabetha, principe Brunsvicensi & Lunæburgensi Denatus 1615. die Stephani hora septima, (qua erat natus) post meridiem. Vixit annos XXVI. Menses tres, septimanas duas, dies 5.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



AVGVSTVS II. DVX SAXONIÆ, etc.



Terra fremat, regna alta crepent, ruat orbis & orcus,
Cui comes est Christus, nulla ruina nocet.
Gloria virtutem sequitur, capiuntq; coronam
Sincera currunt qui in Fidei stacio.


Imperium tradit, cui vult DEVS, eripit idem,
Firmet ut imperium, cur non DEVS ergò colendus?
Nec grauius quidquam, benè quàm regnare per urbes?
Vsbis edoctus veluti Diocletius inquit:
Et testante Sopho, nullum sine numine felix
Imperium, quamvis adamantina robora gestet.

VOTVM PRO PACE.



LECTOR, salve felici sidere salve,
Atque tuos populos æqua ratione gubernas:
Non virtute tua sisus, sed lege potentis,
A quo regna labant, à quo stant Numine Regna,
Quò magis at possis: nos flexo poplite Patris
Aeterni Numen venerandum in vota vocamus.
Sancte pater, cuius non est finita potestas,
Omnia qui firmas, qui destruis omnia nutu,
Induperatorem FERDINANDVM protege nostrum,
Romani æternum qui laus & gloria regni est:
Illius imperium stabili virtute potenti,
Hostes subijciens pedibus, fraudesq; dolosas,
Concula vires Turca, discrimina magna.
Saxonie regnum confirma, auge atque tuere:
Insidias contra, & contra defende furores:
Tu florem RVTAE longinqua in tempora serua,
Vt ne deficiat, populo qui praesit inertii
Qui semper iustis moderetur Legibus orbem.
Conserua pacem, sis nos & mania circum
Angelicis oras conclude & mania turmis,
Et prohibe saevas furias, furiasq; minaces:
Et qui bellorum cades & vulnera spirant.
Naribus orbiculo injecto frena atque coherce,
Terra tua est, populus tuus est, focus hic tuus est.
Sancte pater, verbum caelesti numine serua,
Verbum, quo solo stamus, quo vivimus vno,
Verbum, quod nobis patefactum est a there summo.
Non opus humanum est sanctum defendere verbum,
Non est, praesidium non est in grandibus armis,
Arma labant: Tu nempe tuum defendis honorem,
CHRISTE DEVS, cum Patre potens æqualiter vnus,
In te spes omnis posita est, & vita, salusq;
Facti seruetur deinceps Ecclesia semper,
Laudibus officiosa tuis, sine fine canendis.

BREVIS ET SVCCINCTA
DESCRIPTIO OMNIUM
SERENISSIMORVM SA-
XONIAE ELECTORVM,
ILLVSTRISSIMORVMQVE
QVORVNDAM AGNA-
TORVM.



ARBOR CLINICA
LOGICA ET
OTORYM ET
DVON SA
P... ..

Dura feram patiens, melius sperabo ferendo:
 Spes, Patientia erunt fortia fulcra mihi.



AVGVSTÆ VINDELICORVM,
 Impensis VVolfgangi Kiliani.

Excudit


Vidua Sara Mangin.

ANNO

VIRGINEI PARTVS

clō lō cxxi.

Dura feram patiens melius sperabo ferendo:
Spes, Patientia erunt fortis felicia mihi.



MANGNTE NINDELCORNM.

Impensis VV olfgangi Kiliani.

Excudit

Vidua Sara Mangin.

MDCC

VIRGINII PARTVS

clx lxxi.

9
v/c 953

40

ULB Halle

3

002 385 600



M. E.



SAXONIAE, TVRINGIAE, MISNIAE, TV-
MVLTVARIA DESCRIPTIVNCVLA.



SAXONIAE, ab eo tempore, quo Romani Imperij dignitate, iure ac maiestate Germanis parta, inter Prouincias fuit, uariam diuersos in

tionibus suffectis, dudum ante eam tempestatem, uerarunt, qua tempestatem Principatus, cum solennibus appellationib. atque officio VII uiralis hic SAXONIA, qui, eadem in uniuersum tractum eum, qui rectius uniuersum, qua Saxoniae hactenus dicunt (ut celebratione dominatus praehistorici descriptione dicitur. Cels. creatoris VII uiri Saxonicum, de quo hic loquitur 44. urbibus constare ebergium Principem Comites omnes, nullo laudum culos intendas. Caput V collectancis hisce alibi fertilitatem appellari legimus, Ducibus subijciunt 250. Isenacum oppidorum flunium a Saxonum Ducum minet. MISNIA demum opulens, praeter Misenan nominatum oppidum. La & Dresdam, quartum iam splendorem, munitissimam aulis Saxonum Ducum, a re libet, quod de Bauaria chiores Bauaro possidere gis indies magisq. uere et Ducibus his subiectarum exceptis Nariscis & Franconia quippe intra terminos dominandi iure ad Duces niam perluentium Albis is pons Reginoburgensi Danubiano, & Pragensi Bohem. Muldano tertius annumeretur, ceteros longitudine antegressus, arcuato scilicet 24. iugorum (e quibus, non multis retrò annis, munitiones eousque producte quinque iuga abstulisse scribuntur) opere uisendus. Inde Sala, Mulda quoque, & Elister, Vnstrutag, amnes non obscuri. Flumina plura non addimus, imò & haec, & quae alia de gentibus his atque terris dici possent, tumultuariâ descriptione persequi super sedemus.



pars, non longè ab ipso ad Im-
inis primordio, axiomate ex in-
Principatum terra seu Ducatum
Ac ceteri quidem, uel eidem
um Ducum titulo, alijs appella-
ri portioni dominantur, non diu
um Ducum uocabulis uti perse-
onia. in superiori eius parte situs
orumq. Sacri Imperij Equitum
ncipes est delatus. Quibus porro
b ijs facile animaduerti potest,
sam, Voitlandia seu Nariscorum
ibusdam scribitur, Turingiam,
rincipatum denique quem An-
is Procerum, uel minori existi-
celebris tamen earum gentium
ici II. Placidi, secundi e Mysis,
terna hereditatis, apparet, Sa-
Turingicum e 60. Misnensem
tunc accensa fuerint. Henne-
tempora nostra uiderunt: regio-
edentes, quacunque tandem o-
ermunitum, academiâ, cuius in
NGIAM, sumen Germania, ob
a Saxonum, quos heic exequi-
uocantur) 12. pagos 2000. arces
primarium, sed Iena ad Salam
annos Academiâ nobilitata e-
ais arisq. quinque iam seculis,
lam, Porta ad Muldam sunt)
uinitione Vitebergâ, inferiorem
dem, & ipsam, ultra reliquum
Misnia, Coburgum Francia,
antur; quodq. obiter hic adijce-
um Germania Principum pul-
ysos & Turingos Principes ma-
mus. Trium porro Principum
forset nec imperite uolumus,
Ducibus his ditionum subest:
uocunque tandem ut diximus
VII uiralem Turingiam Mis-
niam perluentium Albis pons Reginoburgensi Danubiano, & Pragensi Bohem. Muldano tertius annumeretur, ceteros longitudine antegressus, arcuato scilicet 24. iugorum (e quibus, non multis retrò annis, munitiones eousque producte quinque iuga abstulisse scribuntur) opere uisendus. Inde Sala, Mulda quoque, & Elister, Vnstrutag, amnes non obscuri. Flumina plura non addimus, imò & haec, & quae alia de gentibus his atque terris dici possent, tumultuariâ descriptione persequi super sedemus.